ERYCI PUTEANI

BAMELRODI

Hiſtoriographi Regii, Profeſſoris, Conſiliarii, &c.

EPISTOLARUM POSTHUMARUM CENTURIA IV.

AD

FILIOS, COGNATOS, ET AFFINES.



LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO CIↃ. IↃC. LXXI.

EXCELLENTISSIMO

FLORIDISSIMOQUE

JUVENTUTIS ROMANÆ

PRINCIPI,

SIGISMUNDO

CHISIO,

TERTIO

SUMMI

PONTIFICIS

PRO CHARITUM,

QUIBUS

 PRÆSTAT

PRÆSTAT NUMERO

NEPOTI,

AUGUSTINI

GERMANO

NATU MINORI,

MAXIMÆ EXSPECTATIONIS

ADOLESCENTI,

MUSIS, ELEGANTIISQUE

SERIO INCUMBENTI,

AD

MAJORA MOX STUDIA

AC MUNIA

SURGENTI,

ERY-

ERYCI PUTEANI
GENER
XYSTUS ANTONIUS
MILSER
CENTURIAM
EPISTOLARUM
A TAM
DOCTO PATRE
AD FILIOS,
A TAM
BONO COGNATO
AD CONSANGUINEOS
ET AFFINES,
SED

SED CHARIORES,

ET LITTERARUM

AMANTIORES,

DIRECTARUM:

DEBITA QUA PAR EST

OBSERVANTIA

NUNCUPAT.

ERYCII

ERYCI PUTEANI EPISTOLARUM POSTHUMARUM
AD FILIOS, COGNATOS, ET AFFINES.
CENTURIA QUARTA.

EPISTOLA I.

Mechliniam.

JO. STEPHANO PUTEANO,

Societat. JESU, *Filio tertio genito.*

DESTINAVERAM ipſe ad te, mi Fili, excurrere, animumque meum pietate tuâ oblectare: verùm impedimenta me ſolita tam felicem non ſiverunt. Non potuit tamen diutiùs ſilere affectus: ecce facit penna, quod lingua debuit:

scribo, tanquàm loquar. Quid autem? Et meum, & Matris gaudium; quia in sanctissimo instituto sic persevèras, ut hanc vitam verè vitam, hanc militiam, quam amplexus es, victoriam existimes. Ut Dei miles sis, adhuc tironem agis. Sed quàm bene exercetur, quem pietas occupat! Hoc primum est, ut te ipsum vincas, ut in potestate affectus habeas, ut optimum putes, non quod velis facere, sed quod jubetur. Filii parentibus, discipuli magistris morem gerunt: qui te regunt, magistri tui sunt, imo parentes sunt; quemadmodùm instruunt, ita amant: quippe ad Deum te conantur adducere; ut à terra tandem ad cælum venias, à tempore ad æternitatem. Cogita breve esse, quicquid terminari potest, bonum non esse, quicquid à pietate alienum est. Si felicitas placet, calcanda voluptas est, quæ una potissimùm pietatem impedit, & quietem mentis conturbat. Age semper, quod agendum est; & in omnibus cogita, DEUS VIDET. Hic salutis stimulus erit. Satis ista. Scribere enim videor, quæ quotidie audis; & tu sequeris, quæ optima sunt. Sic persevera, sic vale. Veniam, te videbo, & coràm gaudium è pietate tua capiam. Lovanii, in Arce, Nonis Quinctil. ∞. IↃC. XXVII.

EPIS-

EPISTOLA II.

Mechliniam.

EIDEM.

NIHIL mihi suavius esse potuit, quàm in litteris te talem videre, qualem & pietas & bonitas formant, dignumque sanctissimâ illâ Societate faciunt. Adoptaberis igitur in vitam, quam jam expertus es optimam esse; ac deinceps velut membrum magni corporis eris, velut civis magni cœtus; & me, matrem, fratres, sorores, quà voto, quà exemplo exhilarabis, & ad Deum simul eriges. Hoc erit nomen, quod feliciter possides, iterum assumere, aut invenire: possidere coronam, à qua appellatus es. Ego quemadmodùm vehementer te amo (& mereris:) ita faciam, ut quæcumque ad solennia tua necessaria sunt, tempestivè procurem: de quibus hîc inquiram. Erit verò hic secundus Natalis tuus: ille, inquam, dies, qui semper tibi, redeuntibus annis sacer & festivus erit, omnesque cælestes Genios conciliabit. Censorinus, quid profani olim homines agerent, ex-

plicare potuit: quem nunc librum adjungo, ut in Bibliothecam Collegii inferas. Cupio etiam, ut tuis nostri precibus memor sis. Sic te complector animo. Lovanii, in Arce, v. Kal. Aprilis. ∞.IↃC.XXVIII.

EPISTOLA III.

Mechliniam.

EIDEM.

MAXIMILIANUS te nomine meo complectetur. Nam me non tam negotia, quàm valetudo, ut sic dicam, titubans domi detinet. Heri vesperi vertigo nescio quæ capitis me invasit, quæ licet per somnum mitigata, nubem tamen aliquam reliquit. Hæc jam quiete superanda est. Tibi verò jam forti & felici Deus Benedicat; D. Virgo Mater Dei Patrona adsit; ut illius gloriam, hujus honorem in Sanctissima Societate, quæ te filium jam adsciscit morum exemplo, & doctrinæ adminiculo augeas. Hoc jam est à Deo, & D. Virgine adoptari. Sed nolo plura. Te amo, te cogito, & peculiari affectu semper MEUM dicam: tu me ama quoque, & sum-

mum

mum Numen pro me, Matre, quæ pro animo omnia tibi læta apprecatur, pro fratribus sororibusque interpella. Vale, mi fili. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Maii, ∞.IↃC. XXVIII.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Filio Primogenito, Ill.mi Nuncio Apostolico ab Epistolis Latinis.

NOlui Artificem hunc sine litteris meis dimittere: licet sine comite Maurâ ille venerit, quem expectabam. Præstabit hoc igitur familiaris noster & propinquus LOMMIUS, de cujus fac negotio ut statim sciam. Quantum facere potui, feci. Sed si æquitati locus est, pondus commendatio mea habuerit. Exemplar illud litterarum, si exscripseris, mitte. Mater magis magisque convalescit. Heri tamen adhuc Pharmacum sumpsit, ut reliquias morbi ablueret, inter sanas deinceps,

 ut spero,

ut spero, censenda. Scire debes, vitæ periculum subfuisse: hoc etiam, graviores morbos, sine NIFFAEO curari posse, qui imploratus opem simul adhibere, protervè recusavit. Itaque non venisse hominem gaudeo, & suo illum livori relinquo. Meum etiam est, ut hi aliqui homines sunt, philosophari, animum verò semper in tranquillo habere. Tu imitare, & amara quæ videntur perfer, ut ad dulcia pervenias. Dulce erit, laborum meminisse. Vale, & officia mea Illustrissimo Domino defer. In iis omnibus quæ aguntur domi, dicuntur, scribuntur, Harpocratem te volo. Magna silentii merces est, quam *fidelem* Horatius appellat,

Quis minor est autem, quàm tacuisse labor?

Pectori inscribe Græcum hunc versiculum:

Ἀκίνδυνον γὰρ ἐστὶ τῆς σιγῆς γέρας.
Vel: Ἐστὶ καὶ τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

Lovanii, in Arce, xv. Kal. Novemb. CIↃ.IↃC. XXVIII.

EPISTOLA V.

Bruxellam.

EIDEM.

Utinam curarum vacuus sim, & otiosè ad te scribam! Nunc contrahere sermonem & præcipitare cogor: & hoc hodie ago, non tã ut scribam, quam ne silere videar, fusè aliquoties à te interpellatus. Cum ultimum fasciculũ tuum acciperem, FAUSTUS noster Namurcum discesserat, quem MAXIMILIANUS curru cõmitatus fuit. Hæc occasio erat D. DESPIENNESIUM adeundi: Virum in nos admodùm pronum, & elegantiarum amantem. Versus iterum ad me misit & lepidos & ridentes, sed velut in gustum, ut uberiorem etiam venam effundat. Narrabat quoque de FAUSTO MAXIMILIANUS fausta omnia: ad quem litteras tuas & inclusas imagines tabellarius Namurcensis die saturni feret. Matri munusculum supra modum arrisit. Sanè gavisa fuit, atque gratiam tibi dicit. Tegumentum equi exspectabimus: ac tu, cum negotia permittent, & Illustrissimus D. NUNCIUS indulgebit, ve-

nies. Vale & salve. Lovanii in Arce, IV. kal. Decemb.. ꝏ.IX. XXVIII.

EPISTOLA VI.

Namurcum.

FAUSTO à S. MARIA.

Carmelitæ Discalceato, Filio secundo Genito.

DIstuli responsum, quia nihil erat, quod magnopere scriberem. Nam de Amita nihil posteà rescivi: res autem nostræ in eodem statu: publicæ, quemadmodùm tristiores, ita satis ubique sciuntur. Minatur hostis prædâ navali ferox, bellum mox illaturus, qui propulsare duntaxat Solet. Nuper tamen (cum & tu militares) Grollam nobis extorsit. Quid igitur? Bonam caussam Deus sustinebit, quem piorum hominum preces propitium facient. Preces quoque Sanctissimi Ordinis vestri, tuo etiam ore, tuo pectore dicendæ. Sed ô te felicem, qui vacare Deo potes, nullis aliis curis distractus! Cum te nomino conditionem tuã laudo: sic natus, sic educatus, sic exercitatus

es,

es, ut FAUSTUS esses, & homo humanâ omnia contemneres. Voluissem Sanè Lovanii in tuo te Monasterio, aut in vicino monte Dei (ita Seminarium appello) civem nobis esse: sæpius sermonem miscerem, sæpius de studiis quoque agerem. Jam id commodè per epistolam non potest. Indigitamenta mea, sive Malenus à VERHOVIO exspecto. Mittam ubi accepero, & te semper amabo. Vale & hoc SACCI epistolion lege, optimum fratrem lugentis. Hic finis est, MORI. Tu vive & vale. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. Martii, ꝏ. IↃC. XXIX.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Ill.mi Nuncio Apostolico ab Epistolis Latinis.

SAtillum, quod Græci τὸ ἁλοδοχεῖον appellant, accepi. Formâ & Arte pulchrum est, quia

quia simplici labore constructum. Purius igitur metallum, sive candidius solenniorem mensam ornabit, & velut sacram faciet. Hanc Antiqui religionem sali tribuebant. Interim tu nobis quotidie ante oculos eris, quoties salinum hoc adspiciemus: sed malè eris, nisi moribus, studiis, actionibus, sermonibus salem exprimas, & ab omni corruptela te alienum præstes. Mater nunc munuscula ista mittit: quæ si arriserint, sæpius hoc amoris symbolo affectum suum testabitur. Thesium libellos libenter vidi: sed quando ipsum illum cui alter inscriptus est? Utinam veniat! Utinam nos beet! Ut igitur tempestivè me moneas, cupio. Vale, & me, virtutemque ama, Patronum observa. Lovanii, in Arce, v. Eid. sexti. ∞. I Ɔ C. XXIX.

EPISTOLA VIII.

Bruxellam.

EIDEM.

VIdes, ut omnia tibi ex animi sentētia succedant. Protonotarii titulo auctus es: res Romana si expediatur, lętiori simul animo

ego,

ego, mater tua, fratres, & sorores simus. Intereà, ut scripsi, torqueor. Interpella hominem istum, qui hactenus duxit negotium & expeditionem nunc meo nomine exige. Tibi verò novam dignitatém gratulor: quâ sic utêris, ut omnes videant, te monitis ac præceptis meis morem gerere; pietatem, doctrinam, virtutem tibi cordi esse, imo nomen meum esse, quo velut fulcro potes assurgere. Fuge quicquid turpe est: & seriò seriò cogita, voluptatem & ignaviam valetudinis & vitæ pernitiem esse. Deum ante oculos semper habe: Patrem habe, qui Deum tibi inculcat, qui ut bene tibi sit, nullum laborem fugit. Nunc verò Illustrissimo Patrono gratiam habe, & sic age omnia, ut gratiam ejus merearis. Assiduum te volo, accuratum, excitatum: volo te Puteanum esse. Et sic omnia dixisse videor. Vale, & salve. Illustrissimo Domino NUNCIO gratiam mox scripturus sum: quam tu intereà dices, & felicia anni auspicia precaberis. Lovanii, in Arce. VI. Kal. Januarii, ∞. IↃC. XXIX.

EPIST-

EPISTOLA IX.

Gandavum.

JO. STEPHANO PUTEANO

Societatis IESV Sacerdoti.

VEhementer me recreârunt litteræ tuæ, studiosè, eleganter, amanter scriptæ, & quod caput est, piè. Nimirum à Deo ordiri, & ad Deum referre omnia, vitæ ac doctrinæ summa est, anni in se redeuntis felicitas. Nos quidem satis prosperè novi temporis auspicia fecimus, tuique memores, bene & studiis tuis & votis precati sumus. Animum meum hoc nunc etiam munusculo explicatum venio: hac, inquam, Historiâ, quæ irruptiones omnes Barbarorum in Italiam continet. Quam sævi aliquando homines fuerint, hîc leges; ne mireris & nunc esse: vastatam aliquando Italiam, quæ & nunc periclitatur. Nos hîc saltem utinam securi simus, & ad pacem adspiremus! sic sanè videamur ad novam vitã, & nova tempora, Jano clauso redire. Nunc quia in litteris discendis occuparis, vide an ex hoc volumine haurias, quod ad linguam & stilum

ſtilum facit. Hiſtoriæ primum vacabis, mox & Commentarios inſpicies, ſed explicationis causſâ. Ita vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Febr. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA X.

Bruxellam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Ill.mi Nuncio Apoſtolico ab Epiſtolis Latinis.

HERI ad epiſtolam tuam reſpondi: nunc commendare D. HOUWENUM ipſi Illuſtriſſimo Nuncio volui. Vide quæ ſcribo, obſigna, & trade: niſi ab ipſo HOUWENO malis. Tibi verò glorioſum ſemper erit, & jucundum recordatu, in familia Illuſtriſſimi Nuncii, & munere Epiſtolari fuiſſe. Nunc ad otium te conferes; quod ne otioſum ſit, novâ induſtriâ efficies. Ennianum tibi illud propono.

Otio qui neſcit uti, plus negotii habet,
Quàm cum eſt negotium in negotio,
Otioſo in otio animus neſcit quid velit.

De hac

De hac re, si adsis, hodie me differentem audias, corpore licèt imbecilliorem. Stomachus non videtur officium suũ facere; cui ne gravis sim, etiam necessarios cibos subtraho. Sobrietate, ut spero, ac diætâ propitiam mihi Hygeiam reddam. Fortassis & vocis exercitatio ad bonam valetudinem faciet: quâ cùm tu fruêris, facilè quod Deus mihi imponet feram. In te enim jam familiæ spes recumbit. Salve ab omnibus. Lovanii, in Arce, XI. Kalendas Martias. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XI.

Gandavum.

JO. STEPHANO PUTEANO,

Societatis IESV Sacerdoti.

SI quoties de te cogito, toties scribam, litteris meis obrui videaris. Cogita autem etiam inter negotia & studia, quæ scriptionem vel impediunt, vel intercipiunt. Interim non unâ epistolâ & me & matrem oblectare voluisti: non unâättestereà salutatione. Sororem tuam EUGENIAM in matrimonium Domino JOANNI OEMS collo-

collocatam esse nuper indicavi. Nunc parentes ejus & soror una (duæ enim sunt) Dordraco ad nos, amoris & officii caussâ venerunt, & amœnitate Arcis fruuntur. Optimi & piissimi sunt, atque de Societate JESU egregiè meriti. Sanè Patres Brasilienses nuper amicissimè complexi sunt, Dordraci captivos; quos ut è carcere, pestilentiâ affecto, educerent, cùm exigerentur viginti quatuor millia florenorum, fidem suam cum paucis aliis ejusdem nominis & familiæ interposuerunt. De qua re R. Pater ANTONIUS DE MATES pulcherrimum Epigramma composuit; quod proximè ad te transmittam. Nunc Genealogiam nostram accipe, non lineis, ut solet, sed verbis à me descriptam. Videbis inter Majores tuos viguisse pietatem: aliquos etiam Societatis JESU fuisse. Sanè & PETRUS ille CANISIUS conjunctus nobis affinitate fuit: quemadmodùm annotavi. Lege Genealogiam totam, & longioris Epistolæ loco habe. Propediem plura. Vale, & R. P. Rectorem tuosque saluta. Lovanii, in Arce, IV. Non. Junii. CIↃ. IↃC. XXX.

EPISTO-

EPISTOLA XII.

Venlonam.

ANDREÆ CHRYSOSTOMO, ET HESSELO PHILIPPO,

Filiis septimo & octavo Genitis.

IPSA jam me spes recreat, quam de profectu vestro, Filii mei optimi, concepi. Et bonæ litteræ, & boni mores vobis discendi sunt, ut aliquando gaudeatis, bonam ætatem benè collocatam esse. Non semper anni florent, non semper licet serere, à labore ad voluptatem præstat, quàm à voluptate ad laborem venire. Quicquid jam hauritis, semper jucundum erit: quicquid differtur, perit. Qui maturè fundamenta ponit, citò ædificat: illa etiam cùm solida sunt, durat universum fabri opus, Agite ordine omnia, & diligenter singula: quæ quotidie vel pauca, vel parva sunt, brevi etiam tempore molem pretiumque facient. Si me amatis, imò si vos ipsi amatis, monita quæ abeuntibus dedi, sequemini. Pii este, modestiam colite, tacendi & loquendi momen-

momenta discite. Timidos vos esse nolo, verecundos volo. Pulchra hilaritas est quamdiu petulantiam excludit. Etiam lusus necessarius est; sed ut recreet indolem, non dissolvat. In cibo & potu sobrii eritis, in rebus omnibus honesti. Sed confido, eritis: cari mihi semper, non tantùm quia Filii, sed quia Boni. Ita salvete, & quacumque occasione aliquid semper ad me litterarum date. Ita enim de profectu vestro judicabo; ita spem majorem capiam. Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Julii. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XIII.

Venlonam.

PETRO MOETIO,

Cognato suo, Consuli Venlonensi.

QUO affectu in Patriam & Urbem ferar, sæpius jam ostendere conatus sum. Hoc enim egi semper ut Civis viderer, & præstarem officia quæ Civis sunt, & ingenio potissimùm continentur. Sed me nescio quis Genius ab ineunte ferè ætate ad amorem litterarum duxit; eas colui, & famæ quam rei aut lu-

cri cupidior, non quod privatim, sed quod publicè utile esset, sectatus sum. Quotusquisque autem Civium nostrorum viam hanc inivit? Bene est, in una Urbe natus, in non una notus sum: uni tamen voto & cultu adhæsi. Animum meum potiùs quàm domicilium si inspicis, Venlonæ habito; cui cùm vitæ natales debeam, ingenii vires velim impendere. Ecce, ut Urbem describerem, à Familia orsus sum; & quicquid *PVTEANI* fuerunt, quicquid adhuc sunt, ad librum redegi. Ad librum, sed te Consule (quod felix faustumque sit) Senatui Populoque Venlonensi inscriptum, & jam ante hebdomades aliquot absolutum. Exemplaria parata & compacta sunt, ut mittam: sed quia sarcinam ferre tabellarius non potuit, unum hoc nullo splendens ornatu præmitto in lectionis dumtaxat gustum. Indico nunc munus magis quàm offero. Sed te per veterem amicitiam nostram, per affectum Patriæ, per humanitatis studia rogo, ut apud Magistratum promptissimæ voluntatis meæ interpres sis. Dedicatio, Epistola est, quam seorsim addo, ut tanquàm Epistola in Curia legatur, publicè & ab omnibus mox legenda. In Genealogia ipsa & tuum, & aliorum ferè Senatorum nomen veneratus sum, quemadmodùm vel cognatio, vel

vel affinitas intercedit. Summa est, ut tuo potissimùm favore Senatui populoque placeam, & urbem ipsam describam. Non profectò peribit quod sic impendetur. Vale, Magnifice & Consultissime Domine, & feliciter Consulatum perge gerere: me verò tuum, & nomini tuo dedicatum habere. Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Julii. ∞. I Ↄ C. XXX.

EPISTOLA XIV.

Dordracum.

GUILIELMO OEMIO,

Cognato Suo.

ELegantes etiam in dolore litterę tuę sunt mi OEMI, & generosam mentem spirant. Quid excusas? Silere poteras, ut luctui indulgeres: rursus scribere poteras, & verecundiam amovere. Ego ipse, tã tristi percussus nuncio, in lacrymas quam in litteras pronior fui. Amisi Amicum, Cognatum, Affinem, qui non alio quam fratris esse loco cœperat, optimus candidissimusque hominum: amisi, ut breviter omnia dicam, magnã partem mei. Scriptio interim tua aliquid serenitatis attulit: quem

admodum & Generi mei; quia pari quasi affe-ctu desiderium mei explicatis. Redi verò, & familiarissimè sermone & ingenio meo utere, mensâ, domo: cùm ex animo non recesseris, ne reliquisse quidem larem videaris. Tuus me capit Genius, quia audet profanum vulgus spernere, elegantiæ & honestati deditus, quâdam morum maturitate decorus. Veram scire vitam, maxima doctrina est: veram discere, pulcherrimum mentis studium. Cœpisti discere, imò cœpisti scire, ipso, ut sic dicam, tirocinio quantum à bona exigere possum indole, complexus. Summa est, à multorum exemplo mores & rationis officia deducere; spretis diverticulis, eloquentiam & sapientiam sequi; animum lectione & scriptione ad magna & solida præparare. Jus ipsum, quod tractas sic luculentius erit: scies leges, & magis observabis. Sed hæc monita dicere malim quàm scribere. Venies igitur, & novum ad studia optima animum adferes: quicquid in me erit auxilii non promam, sed effundam. Scire velim, quænam sit illa sphæra GUILIELMI JANONII CAESII, hypothesibus COPERNICI de motu terræ adaptata. Scribit PHILIPPUS LANSBERGIUS, Commentationibus suis in diurnum & Annuum Motum Terræ, superiori anno in lu-cem

cem editam esse. Si grave non est, fac quæso ut librum SELDENI de Diis Syrorum, Lugduni Batavorum recenter excusum, habeam: pretium hîc reddetur. Vxor, Filii, Filiæ, & INGENRADIUS te resalutant. Tu meo & uxoris nomine Matri tuæ, Fratribus Sororibusque affectum & obsequium nuncia, ac vale. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Octobris. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XV.

Dordracum.

JOANNI OEMIO J.C.

Genero Suo.

DEcet verò modum dolori ponere, & quod mutari est nefas, necessitate metiri: Hâc omnes lege nati sumus, ut moriamur: & jam verè vivere optimus Pater tuus cœpit, quia naturæ satisfecit, ad probitatis pietatisque præmia, semper duratura translatus. Ad te redi, ut exemplum, quod formavit ille, exprimas: imò ut formes, quod alii aliquando ament sequi. Non ipsi semper erimus: sed danda est opera, ut quod con-

cedet Deus vitæ spatium rectè occupemus. Mea jam flecti ætas cœpit, & in occasum inclinare: tua florida, & copiosum virtutis fructum promittens. Ut igitur assurgas rogo, imò ut vivas, sed tanquàm aliquando moriturus. Quia fama hominis solâ virtute constat, eæ tibi artes assumendæ sunt, quæ mortem vincunt, viam ad æternitatem aperiunt. Si bonus, doctus, prudens eris, semper vives; durabunt opes quoque, si instrumenta virtutũ feceris: si quemadmodùm patrimonio luculentus es; ita totus tamen à fortuna non pendeas. Divitias puto, *Deorum Muneribus sapienter uti*; in veste, victu, cultu, honestatem potiùs quàm pompam profiteri. Inter viros affinitate meâ venisti: volo & familiaritate meâ inter claros habearis. Sanè quemadmodùm Filiam tenerrimè amo: ita te tanquàm verè Filium censeo, iis animi, corporis, fortunæ donis instructum, ut fulcire nomen meum possis, virtutumque studio Majorum gloriam exæquare. Redi verò, & totâ mentem sapientiâ robora. Amisisti domi Patrem: ego hîc tibi patrem exprimam. Dolor è desiderio nascitur: transfer in me desiderium, & lugere desines. Ad optimam Matrem breviter ecce scribo: trade litteras, & moram excusa. Quia enim Bruxellæ hactenus egi, & inter negotia, minus sanè usurpare offi-
cia

cia potui. Vale, mi FILI & me nunc ceu Patrem ama. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Octob. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XVI.

Dordrechtum.

ROCHO GRYPHIO

Cognato suo, S. T. Licentiato.

SI quid in dolore lætitiæ esse potest, id mihi litteræ tuæ attulerunt, perquàm amicè, atque etiam eleganter scriptæ. Lugebam Amicum optimum, quem fratris habere loco cœperam, & tuo suavissimo alloquio sublevatus sum. Sed modus profectò dolori dandus est; in rebus ut humanis, imperium decretumque divinum agnoscamus. Non moriuntur boni, cum vitâ abeunt, sed sedem duntaxat mutant: meliori conditione æternitatem auspicantur. Hæc mihi dico, & à te expendi simul cupio, qui serenis litteris animum pertinaci adhuc luctu fatigas. Tuum quoque erit, compescere opportunis verborum solatiis mœstissimæ viduæ fluentes adhuc lacrymas, nihil certè profuturas. Liberos cogitet, & filium ita apud me

esse, ut Patrem invenerit. Hoc seriò dico, & me ad omnia officia & obsequia paratissimum scribo: quemadmodùm reciprocum affectum à te mihi, ab illa, & propinquis omnibus promitto. Plura jam non licet, abituriente tabellario. Unum rogo, ut de me, tanquàm vero Amico statuas. Ad Matrem Filius scribet: tu à me salutis apprecationem addes. Vale. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Decemb. ϹIↃ.IↃC.XXX.

EPISTOLA XVII.

Dordrechtum.

HERMANNO OEMIO

Cognato Suo, V. R.

UT litteras tuas accepi, officio Amici functus sum, & majorem in auxilium auctoritatem imploravi. Scripsit igitur ad Comitem Bergensem Marchio LEGANESIUS, licèt satis adhuc difficilem, & nescio quà excusatione utentem. Quicquid sit, libertatem captivus statim recepit. Gener, & filia, & Cognatus OEMIUS feliciter redierunt. Tanquàm à funere mœsti, nos quoque

que novo dolore oppleverunt. Sed ita Deo visum est, virum optimum piissimumque ab hominum commercio & consuetudine secretum, ad felicissimam Beatorum æternitatem evehere. Quamdiu igitur vivimus, velut in via sumus: portum non nisi moriendo contingimus. Quæ bona nostra quamdiu peritura? Nunc morbus, semper cura est; quoties diem, noctem quoque computamus: perenne non nisi in superis locis lumen est, quo Cognatus ille noster, ut spero & confido, fulget. Filius si Patrem verè amavit nunc imitabitur: ita & ego quem Generum habeo, filium putabo. Superabit Patrem, quia virtuti Doctrinam perget jungere, & meum quoque sive munus, sive nomen in partem exempli trahet. Quàm pulchrum est, Minervæ & famæ operam dare, tam illustri nisu Majorum sibi decus vindicabit. Te quoque respiciet sanguine proximum, doctrinâ eximium, dignitate venerabilem ac singularem. Sanguis quidem servat igniculos suos, nec tepescere per calamitatem temporum potuit: doctrina quoque vim promovet insitam: dignitas non sinet honestam æmulationem inter vilia aut plebeia consumi. Sed qui jam meus est, non poterit non honestus esse: tuis autem cum virtutibus inprimis excitabo. Hoc rogo igitur, ut me planè

tuum velis esse : sed ut Amici omnes intelligant, cur velis; satis non est amari, nisi dignus affectu videar, & familiaritatis exemplum qui minoris fortassis facient, caussam æstimabunt : caussam autem ab honesti famâ sumes. Vale, Lovanii, in Arce, IX. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XVIII.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

MUnuscula tua nuper ad Sororem *EVGENIAM* missa, totam sanè domum recreârunt. Ab affectu, & ab arte quoque tuâ pretium æstimandum est. Sed profectò sic rectè pietas exornatur. Aberat eo tempore *EVGENIA*, cum marito in Hollandiam profecta. Subitum iter erat : quia pater Generi, *IOANNES OEMIVS*, vir optimus & piissimus, graviter laborabat: atque is ei morbus sonti-

ſonticus & fatalis fuit. Mei, rebus utcumque ordinatis Lovanium reverſi ſunt, & in recenti luctu, aliquid ſolatii à religioſo munere tuo ceperunt. De me quæris? Satis valeo, modicè ſtudia tracto; niſi quòd nuper novum illud Ærarium deſcripſerim. Apud Pontificem de inſtitutione actum eſt, apud Imperatorem Reges, Hiſpaniæ, & Poloniæ: quo ſucceſſu, adhuc ignoramus. Noſtri hîc Bruxellæ adhuc deliberant, nihil fortaſſis acturi, niſi ex Hiſpania decretum mittatur. Sed Philoſophia tua quomodò ſuccedit? Primæ devorandæ moleſtiæ ſunt, omnia deinde in proclivi erunt. Frater tuus *STEPHANUS* Montibus *S. WINOXI* eſt, & humanioribus adhuc litteris ingenium excolit, maturior ſic ad Sapientiam iturus. Salve ab omnibus, & vale. Lovanii, in Arce, ſubitò, IV. Eid. Decemb. ∞. I Ↄ C. XXX.

EPISTO-

EPISTOLA XIX.

Dordracum.

HERMANNO OEMIO à MOEUSENBOUCQ P. A.

Cognato Suo.

ABsentem colo, præsentem video: sanè in imagine tua felix sum. An majus accipere munus potui? Te ipsum mihi, & qualem Cives tui admirantur, donare voluisti. Te ipsum doctrinâ ornatum, pietate conspicuum, & omni virtute eminentem. In istis & lineis & coloribus suavitas cum majestate mixta est; tanquàm docere vultus, monere oculi videantur. Si & sermo pingi potest, hîc loqueris: si & animus, hîc me amas. Et quam gratiam pro tam præstanti dicam munere? Quam referam? Inæquale certamen est, impar hostimentum; quicquid dedero, minùs sanè munus erit. Hæc igitur penes te palma erit, liberalitate vicisse. Dabo tamen, non ut exsolvam debitum, sed ut agnoscam. Dabo quoque me ipsum, ut te imiter, & minori

tori sic tamen pretio gratus ero. Sed una corporis, plures animi imagines sunt, quot hactenus libri mihi scripti. Ex hisce istum nunc pusillum habe, *SUFFRAGII* titulo; qui Nomen & Institutum *BEGGINARUM* continet. Controversia nata erat à *S. BEGGA ANSEGISI* vidua, an *LAMBERTO BEGUIO*, Sacerdote Eburone, dictæ essent? Vixit illa sæculo Christiano septimo: hic duodecimo. Suffragium equidem pro majori Antiquitate tuli, & ut originem suam mulieri mulieres deberent; Sanctæ mulieri, quæ sanctam moribus & pietate vitam profitentur. Nunc à tuo pendêre judicio cupio; ut vel mutem sententiam, si existimaveris solidam non esse; vel confirmem, si auctoritatis tuæ pondus accedet. Vale, & imaginem vicissim meam exspecta, non quemadmodùm picta, sed sculpta est, & libellos meos promittit. Lovanii, in Arce, Postridie Kalend. Januarias anni. ∞. I Ↄ C. XXXI. quem felicem faustumque voveo.

EPIS-

EPISTOLA XX.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

NIHIL mihi suavius, mi FILI, litteris tuis fuit, quæ te non minùs animo quàm corpore valentem indicant. Sic Deum cole, sic studia tracta, ut tibi bonus, Ordini utilis sis; & magis magisque gaudeam, in tali te ordine bonum esse. De fratre tuo STEPHANO læta quoque audio, pietati eum & litteris gnavam operam dare, quemadmodùm & nuper scripsi. MAXIMILIANUS ab ingenii cultu alienior, non satis ipse constituit, quam vitam electurus sit. ANDREAS & HESSELUS felicem admodùm in studiis Venlonæ & moribus progressum faciunt; ut certè de utroque omnia mihi bona promittam. Sorores omnes bene se habent. GENOVEVA hîc Lovanii in Begginagio habitare voluit, bonæ omnino indolis, & pietati dedita: CAROLI-

ROLINA & MARGARETA in Monasterio Cortebergensi educantur. Ex Italia ad me BASCAPEUS litteras misit, quibus significat, Avunculum tuum ALEXANDRUM mense Novembri domi suæ peste extinctum esse. Deus illi propitius sit! Nunc has litteras vide, à Cardinali BENTIVOLO, & suffragium de Begginarum Nomine & origine, Belgicè jam versum. Vale, & R. P. Priorem, tuosque omnes saluta: ut hîc omnes te. Lovanii, in Arce, v. Kal. Mart. ∞. I Ↄ C. XXXI.

EPISTOLA XXI.

Venlonam.

JUSTO, MAXIMILIANO, ANDREÆ, HESSELO PUTEANIS,

Filiis Suis.

QUID scribam, nescio: nolui tamen hunc sine litteris meis tabellarium discedere. Res hic nostræ, ut solent. Valemus autem. Tu JUSTE, an idem potes dicere?

Et cur

Et cur non scribis igitur? Tu MAXIMILIANE, an prosperè iter totum emensus es? Cogita nos solicitos tui adhuc esse. Nihil enim adhuc de te intelleximus; sed quotidie litteras exspectamus. Si quid spei de negotio suscepto erit, fac ut sciam. Tu ANDREA, & tu HESSELE, pergite diligentem in studiis operam capessere, ut ad solidam aliquando doctrinam assurgatis. Magni eritis, modò docti, & boni evadatis. Ad Præceptorem vestrum litteras, nuper scripsi: quas an acceperit nescio. Quas ipse ad me misit, tabellarius tradidit; ut jam profectò responsum iterum debeam. Propediem igitur. Sed vos intereà affectum meum indicate. Quid prætereà? Te, JUSTE, redire cupio: te quoque, MAXIMILIANE, si animadverteris frustrà te ivisse. Salutate Avunculum, Materteram, & Amicos, Propinquosque omnes. Illos inprimis, quos novo nodo conjunctiores nobis esse volumus. Sic valete. Lovanii, in Arce, v. Kal. Maii. ∞. IↃC.XXXI.

EPISTOLA

EPISTOLA XXII.

Venlonam.

IISDEM.

TUAS, JUSTE, accepi. Hoſpitem de quo ſcribis, in Arce complexus ſum: & jam complexus eram, priuſquàm tuas illas acciperem, per tabellarium ſubmiſſas. Meas tibi MAXIMILIANUS dederit. Sed ad Clariſſimum Expertiſſimumque RHENANUM ſimul ſcripſeram, à quo Viro cùm valetudo tua pendeat, maximum te cogita beneficium accipere. Si potes, age, ut Lovanium excurrat: ego tanquàm fratrem excepturus ſum. Si quid quoque per Amicos potero, totum, ut bene ei ſit, impendam. PAZIUM CHIFFLETIOSQUE benignos fore, ſpondere auſim; ſed ſi noverint Virum, velint extollere. Mirabar ſanè Patruos Dordrechtum profectos eſſe. Sed tamen abſolvi ſemel rationes, prorſus erat neceſſarium. Conſuli BERINGIO, & Proconſuli MUETZIO ſalutem à me reddes, & amicis Propinquisque omnibus. De negotio MAXIMILIANI quid omnino ſperandum ſit, ſtatim ad

me scribas. Affectus ante omnia utriusque explorandus est; quem parentes sequentur. Tuum est, jam personam meam sustinere: audiesque conditiones, ut me certiorem facias. Meum deinde erit statuere. Tu nunc igitur, MAXIMILIANE, si illa placuerit, sic te geres, ut tu illi placere vicissim possis. Scis quæ coràm monuerim: hæc sequere. Epistola tua Ruræmundæ scripta, IX. Kal. Maii, gratissima mihi fuit. Itineris pericula sollicitum me habuerunt: gaudeo igitur sine infortunio te pervenisse. Perge verò Gallicè scribere, & primâ quidem occasione, ut voluptatem denuò capiam. Ad vos nunc calamum, ANDREA & HESSELE, qui & me, & matrem exhilaratis diligentiâ & modestiâ vestrâ. Sic pergite, & hos primos studiorum labores vincite; amœna omnia & dulcia sequentur. Quantò doctiores eritis, tantò etiam vos magis amabo. Doctrina ad virtutem, virtus ad felicitatem evehet. Ad Præceptorem vestrum nuper scripseram; quæ an litteræ perlatæ sint, nescio. Exemplar à Consobrino vestro LEONARDO scriptum hîc habetis, dandum, si illæ perierint. Sed adventus JUSTI fratris, ac deinde MAXIMILIANI nónne vos recreavit? Cogitate & me & matrem adesse animo; quem utriusque tenerrimum

in vos

in vos esse perpendite, & patienter absentiam feretis. Abesse enim non videmur. Sic nunc valete, tu JUSTE, tu MAXIMILIANE, tu ANDREA, tu HESSELE, & salvete. Quemadmodùm unâ ad omnes epistolâ scribo: ita moneo, ut uno inter vos animo & affectu sitis, & ad exemplum fratres. Lovanii, in Arce, v. Non. Maii. ∞. I Ↄ C. XXXI.

EPISTOLA XXIII.

Antverpiam.

JO. STEPHANO PUTEANO

Societatis IESV Sacerdoti.

TUæ etiam nuperæ me vehementer recreârunt. Sed an meas, & Genealogiam acceperis, nescio. Nunc epistolam hanc ad Summum Pontificem, item Suffragium de origine & Nomine Begginarum Latinè, & Belgicè vide: cui ἀντιλογία adjecta est. Longitudinum σπόρθωσις singularem contemplationem poscit. Studia nunc tua nónne Philologica sunt? Nónne pietatis sunt? Et argumentum hoc meum pium est, non sordidis, ut opinor,

verbis, aut χαμαιπετῶς explicatum. Valemus omnes. *IVSTVS* & *MAXIMILIANVS* Venlonæ sunt, in re, quæ familiam spectat, occupati. *ANDREAS* & *HESSELVS* ibidem felicissimè litteris navant operam, nec mediocria promittunt. Audebo illos porrò tuo excitare exemplo: non ut doctrinam modò colant, sed magis pietatem. Tu quia in Sanctissima illa Societate versaris, in portu mihi videris virtutum versari. Quod mare, quæ tempestates, quæ pericula multorum vitam trahunt! Agnosce felicitatem tuam, & verè felix eris. Nunc salve à matre, fratribus, sororibus, & cognato *INGENRADIO*. Hæ etiam à Patruo litteræ sunt fortassis vetulæ. Vale. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Quinctil. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA XXIV.

Venlonam.

ANDREÆ & HESSELO PUTEANIS,

Optimis Filiis Suis.

GAudeo vos in Monasterio, & extra periculum contagionis esse: tantò jam quo-
que

que aptiores ſtudiis, quantò & ſcholæ, & doctiſſimo humaniſſimoque Præceptori veſtro propiores eſtis. Hujus autem in mutanda claſſe conſilium ſequimini. Nam quid è re & profectu veſtro ſit, me melius judicabit. Ille jam Pater eſt, ille affectum meum exprimit, ille me abſentem repræſentat. Cæterùm vos in illum pii quoque eſte: & ſanctum habete nomen præceptoris. Adjungo verò & Præfectum, cui quantum deferetis, ego me putabo recipere. Ecce gradum ſterno, & ad ipſum R. Patrem Priorem venio. Huic verò nomine meo gratiam dicetis, quod in contubernium ſuum vos admiſerit, è vicino, ut ſic dicam, incendio venientes. Magnum hoc beneficium eſt, & peculiariter me obſtringit, id ſedulò curaturum, ut non ſortem modò ſumptuum, ſed & fœnus præſtem. Indicate: boni & diligentes eſſe pergite, & vos dignos nomine veſtro præſtate. Xenium ab Amita accipietis. Mater, Fratres, Sorores vos ſalutant. Addo. D. *BELLI-FONTANAM*, ut Præceptori offeratis. Lovanii, in Arce, Kalendis Octob. ꝏ, I Ɔ C. XXXI.

EPISTO-

EPISTOLA XXV.

Gravesandam.

ISENBOLDIO VENIO,

Cognato Suo.

EPistola tua mera humanitas est, non latinè quidem (& quid opus excusare?) sed eleganter tamen expressa. A Belga candor, à *VENIO* veneres. His capi debeam, ipsa jam nisi ad amicitiam Affinitas invitaret. Si ignotus fortassis non fui; alienus esse desii, postquàm in familiam *OEMIORUM* nomen *PUTEANUM* missum est, & affectus matrimonio coäluit. Ab hoc igni se diffundit calor, & ad benignam familiaritatem invitat: quàm cum adhuc præsentiâ non possim, scriptione colam. Virum cerno qui inter paucos generosâ mente eminet, qui, non ut publicè magnus, sed privatim suus esset, & sic bonus, litterarum studia tractavit: felix, quia ab invidia famam, à periculo fortunam sejunxit. Aliorum pompa, tua sapientia conspicua est: intelligere potuisti, quæ sint vera bona. Ut vitam

vitam occupes, quietem colis: ut tempestatem vites, à littore non abis, larem velut portum habes. Mea hæc etiam studia, imò vota sunt, à strepitu segregare animum, ad tranquilla, secura, æterna erigere; plura despicere, quàm avari omnes & ambitiosi possident. Illud σπουδαίως ζῆν ἄριστον usurpare soleo, & honestate, velut pulcherrimâ lege, metiri omnia. Suadâ interim & Elegantiâ quod capior, exemplo Antiquitatis laudabile videatur. Ego verò meæ mihi mediocritatis conscius sum, & quantum non præsto, amo tamen: quantum possum, publicæ utilitati impendo, quantum non possum, in aliis æstimo & admiror. Vides PVTEANVM, & sic jam tuum habes, id acturum semper, ut quoniam affinitas contracta est, omni officiorum genere, benevolentiam tuam merear. Vale Nobilis Prudentissimeque Domine, & à Conjuge meâ liberisque vicissim salve, unà cum tua, tuisque. Lovanii, in Arce, postridie Eiduum Octobris. ∞. IↃ C. XXXI.

EPISTO-

EPISTOLA XXVI.

Gandavum.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Protonotario Apostolico.

STrenam igitur hîc habes imaginem meam, illam à LODENO æri incisam, papyro impressam. Sic eam intuere, ut meipsum tibi præsentem semper putes, vultu, animo, exemplo. Sanè tua vita, mores, felicitas, me felicem facient. Sic cogita, PUTEANI à te jam nomen pendêre quod attollere honestatis professione conatus sum, & ab omni temporum injuria vindicare. Suppone humeros, & magnâ mente ostende te ejus filium esse, qui mentis studia dicendo & scribendo publicè privatimque hactenus excoluit. Spartam, quam cepisti, ut exornes rogo: quo verbo paternum imperium explico, desiderium matris, fratrum, sororum. Omnes te amant, omnium à te votum pendet. Quia anni auspicium est, boni omnes conatus innovandi

novandi ſunt: ut quicquid à munere tuo tibi otii ſupereſt, lectioni totum impendas. De fratre tuo STEPHANO lætus audivi, ad quem ſecundas, aut tertias litteras cum Genealogia miſeram. Sed an acceperit, neſcio. Tuas mox ad D. CHRYSOGONUM FLACCHIUM deſtinabo. A Domino DEUTELS quomodò litteras nullas accipio? Reverendiſſimo Domino cultum à me & obſequium indicabis. Vale. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Januarii. ∞. I Ɔ C. XXXII.

EPISTOLA XXVII.

Venlonam.

ANDREÆ, & HESSELO PUTEANIS,

Cariſsimis Filiis.

QUoties litteras veſtras accipio, vos ipſos intueri videor, meliores ſemper doctioreſque, & creſcente velut conatu enitentes. Bene ſpero, quia in labore ipſo ſuavitatem inveniſtis. Creſcet hæc verò, ille minuetur: ac tanti, aliquando doctrinam, quàm vitam

ipsam facietis. Ad Optimum Doctissimumq; Præceptorem vestrum ante dies aliquot scripseram; sed eas litteras Amitinus vester ferre voluit. Ille se litteris eis instructum, putabat gratiorem fore: ego litteras, quia ipse daret. Hunc igitur complectimini, dicturum omnia, quæ ne longâ quidem epistolâ repræsentem. Valete, & à matre, fratribus, sororibus salvete. Lovanii, in Arce, Non. April. ∞. I⊃C. XXXII.

EPISTOLA XXVIII.

Dordrechtum.

JUSTO GRYPHIO,

Toparchæ de Valckenstyn, Cognato suo.

QUOD destinavi hactenus, nunc invitante quasi occasione facio, & scribo: non alio argumento, quàm ut affectûs mei cultûsque tesseram virtutibus tuis debiti, transmittam: benevolentiam autem tuam vicissim impetrem. Si affinitatem spectas, alienus non sum: sed quia candidissimâ litterarum studia & ele-

& elegantias tracto, nunquam alienum me fuisse existimo. Tua vita, tanquàm litteris formata, beato otio fruitur: animus autem, quia se contentus, non ad sapientiam tantùm, sed felicitatem assurgit. Intelligis bona tua, quæ maxima fortuna est: tibi imperas, quod verè regnum est, & munus divinum appellatur. Meam conditionem propiùs è Genero meo sororis tuæ optimæ filio, intelliges; qui ornatior nunc instructiorque Jurisconsulti honore redit, & doctrinâ maturior, aptus ut publico alicui muneri applicetur: poterit statim verò, quid tribunalia patria habeant, ipsâ actione experiri. Mea consilia, tua mandata sequi paratus est, & sic se meum tuumque esse magis ostendet: imò ostendet, me tuum esse, qui ut me parentem suum nominat, te habiturus est. Ama quem amo, & firmiorem amicitiæ nostræ nexum facies. Ita nunc & filiam meam commendo: quæ & ipsa quantum mihi debet, Benignitati tuæ delatura est. Vale, & Circulum hunc URBANIANUM vide, imò examina. Hoc familiaritatis signum erit. Lovanii, in Arce, XII. Kalendas Novembris ∞. IↃC. XXXII.

EPISTO-

EPISTOLA XXIX.

Xantas.

MELCHIORI PUTEANO,

Consuli Xantano, Cognato Suo.

SIquid Sanguinis jura possunt, Ornatissime D. ipsâ humanitate ostendis te cognatum esse: imò ostendis te Puteanum esse, & in eos omnes, qui hoc nomine sunt, omni officiorum genere profusum. Quæ hospitalitas nuper in filios meos! Non jam te possum cognatum, sed fratrem appellare, ego autem id prorsus velim agere, ut fratrem me ostendam. Ipsum animum meum velut pignus habes: majus enim aut pretiosius dare non possum. Animum, quem utinam coràm verbis, gestu, nutu explicem! Utinam complexu potiùs, quàm epistolâ loquar. Hæc quomodocumque scripta, tamen muta est; verum autem amicitiæ gaudium non repræsentat. Si induciæ nostræ fiant, aut ego ad te, aut tu certè ad me venies. Nunc verò tanquàm meipsum, hunc meum, vel tanquàm filium meum excipies,

D. LEONARDUM INGENRADIUM, sororis meæ filium, &, si permittis, etiam *PUTEANUM*. Hoc nomine quia omnia complexus sum, desino, & totum me tuum scribo. Salutem addo suavissimæ conjugi cognatæ nostræ. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Novemb. CIↃ. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXX.

Venlonam.

ANDREÆ & HESSELO PUTEANIS.

CUM gaudio intellexi, Optimi & Carissimi Filii, ad classem jam Poëseos, idque consilio Præceptorum, vos translatos esse. Pars etiam hæc Grammaticæ est, & quicquid hactenus didicistis etiam continet. Ne Rhetor quidem à verbis abit; & ut ornet orationem, priùs construit. Ante omnia hoc nunc agetis, ut syllabarum ac metri leges perdiscatis. Nemo sine hac notitia Latinus est, nemo ad carmen accedet. Ut hactenus verò in Cicerone, ita deinceps in Virgilio quoque eritis; quem si familiarem vobis reddetis, difficile

cile carmen non videbitur. Eclogæ jucundæ, Georgica utilia, Æneïs satis laudari non potest. Horatium commendo quoque, curiosâ felicitate vatem, qui peculiares elegantias suppeditabit. Sed habetis normam vestram, hanc sequimini: mores non minùs quàm ingenium colite, quæ vera doctrina erit. Munusculum exspectatis? Avunculus dabit. Valete, & novum Præceptorem, quem saluto, industriâ & modestiâ vobis conciliate. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Nov. CIↃ. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

JO. STEPHANO PUTEANO,

Societatis IESV Sacerdoti.

SUavissimæ mihi litteræ tuæ fuerunt: quēadmodùm affectus est, quo scribis. Non vinci meum, omnibus semper conabor modis ostendere, quantum in me erit. Tua desideria, quia pia sunt, mea semper erunt. Itaque gaudeo vehementer, in tranquillō animum tuum esse, qui non minùs actionibus, quàm

studiis

ſtudiis ad cœlum & Deum aſſurget. Quia Bruxellæ nunc agis, aliquam etiam mihi poteris operam dare, ſi quando continget ad eos exire, quos rerum mearum cauſſa interpellare ſoleo. Sed aliàs Circulus *VRBANIANVS*, quia R. P. Rectori, & P. *OTTHONI ZYLIO* placet, animat me ad Theoreſes, quas ſcripſi, pariter producendas. Quæ ex Germania nunciantur, læta ſunt, & res noſtras quoq; lætiores facient. De ſororibus *CAROLINA* & *MARGARETA* propediem ſcribam. Vale, & ab omnibus ſalve. Lovanii, in Arce, Poſtridie Kalendas Novembris. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXXII.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Diſcalceato.

NIhil mihi ſuavius litteris tuis fuit, quæ te ſanum & ſalvum nunciant, & memorem mei. Hæc ſolatia mea ſunt, nunc quidem rebus

rebus & curis opportuna. Nam cum te cogito, multarum possum molestiarum oblivisci. Tu mihi in portu, ut sic dicam, videris navigare: nec cum Regno velles Sacerdotium commutare. Hæc tua felicitas est, nostra voluptas; tua voluptas, nostra felicitas. Deus nobis propitius erit, quia tuâ pietate, & Sacrificio facies. Valetudo mea satis commoda est, & sic matris, fratrum, sororumque. Domi sunt *MAXIMILIANVS*, *ANDREAS*, *HESSELVS*, *AVBERTVS*, *VRBANVS*, *ANNA-CHRISTINA*, *DOROTHEA*. Cognatæ Venlonam profectæ sunt, *LEONARDVS* Leodium, ubi Illustrissimo *NVNCIO* Apostolico à Sacris est: *IVSTVS* noster Gandavum, de firmo rerum suarum statu cogitaturus. *MAXIMILIANVS* adhuc in poliendo speculo suo occupatur. Sed Herculeus labor est. Paullatim nunc ad hiemem imus, vel hiems ad nos. Litteras in Poloniam mittendas proximè accipies. Ut R. P. *STEPHANVM* nostro omnium nomine complectaris, rogo. Ad ipsum quoque scribam. Vale, & R. P. Priorem, totumque cœtum à me saluta. Lovanii, in Arce, Pridie Eidus Novemb. ∞. I Ↄ C. XXXIII.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXIII.

Antverpiam.

JO. STEPHANO PUTEANO

Societatis IESV Sacerdoti.

TUas, & posteà Auberti litteras accepi, quæ suavissimæ mihi fuêre, in hac rerum omnium acerbitate. Sed bono animo estote. Depellet hanc tempestatem Deus, & consilia hostium dissipabit. In hac urbe nihil jam quidem nobis timendum est: præsentem habemus Principem, & exercitum. Germanica etiam auxilia exspectamus. Ad Principem quod attinet; non jam Cardinalem, sed militem diceretis, intentum in omnia belli, & summi Imperatoris munia. Quotidie vel Urbis mœnia, vel castra obequitat, & fortem ipso vultu animum ostendit: paratus quoque, si necessitas urgeat, cum hostibus dimicare. Sed hi jam moram circa Thenas trahunt, imò dicebantur retrocedere. Exercitus noster instructissimus est, & maximè floridus; campos autem juxta Diliam inter Ur-

bem & Terbancum insidet. Equitatus circumquaque sparsus est. Urbs tota jam militaris, plena militibus, armis, strepitu. Novi aggeres extra fossas à porta Diestensi ad Heverlensem excitantur. Tormenta per muros disposita; omnia ad vim parata. Sed non facilè ad urbem hanc exercitus hostilis veniet: frustrà enim veniat: excursum aliquem negligere possumus. Ad summam, securi hîc hactenus sumus. Plura jam non scribo, ut proximè quid præterea hîc agatur significem. Ego, mater, fratres, sorores vos pariter salutamus. Vltimas litteras meas tabellarius tradiderit. Sed puto Antverpiæ officinas cessare; à libris ad arma ventum esse, à triumphis ad tristes belli cogitationes & curas. Deus rogandus est, ut bonam caussam triumphare seriò velit. Sed tu Carissime FILI STEPHANE, hæc sic AUBERTO præleges & explicabis, ut existimet sibi in responsum scripta esse. Sic iterum utrumque complector, & salvere jubeo. Lovanii, in Arce, quam quotidie Magnates ex Aula visunt, XVII. Kal. Junii. ∞. I Ↄ C. XXXV.

EPISTOLA

EPISTOLA XXXIV.

AntVerpiam.

EIDEM.

QUàm difficulter ſapientia naturæ imperet, ratio dolori, expertus ſum: à pietate firmius præſidium eſt. Placuit Deo, Sororem tuam DOROTHEAM febri gravare, & poſt moram quindecim dierum, ex hac vita ad meliorem transferre. Conſolationis ſumma eſt, piè, conſtanter, libenter, & ad exemplum mortuam eſſe. Corpore pulchra fuit, ſed animam audeo pulcherrimam appellare. Ingenii dotes ne à mortua quidem recedunt. Mater quoque triſtiſſima fuit, ſed animum & vigorem recepit. Quæ funus ſpectant, decorè omnia & modeſtè peracta ſunt. Sepulchrum verò in Templo D. GERTRUDIS elegimus, juxta altare S. HUBERTI, quod noſtrum eſſe poteſt. ANNA-CHRISTINA ægrotare pariter cœperat: ſed ea, laus Deo, convaleſcit. Medico utimur Clariſſimo D. PLEMPIO Optimo & Expertiſſimo Viro & Amico. Reliqui & reliquæ

liquæ valent, ego, & mater tua, & hoc aëre, hoc loco saluberrimo fruimur. Nam in urbe varii grassantur morbi, pestis quoque: qui belli nostri fructus sunt. Deus respiciet, & propitius erit; cui nos & nostra omnia committimus. Vale, mi FILI, & tuos omnes officiosè à me saluta. D. CNOBBARO salutem etiam dices, & affectum meum nunciabis. Proximè ad ipsum scripturus sum, & rogaturus ut Obsidionem Lovaniensem, quam scripsi, quemadmodùm Barbaricam dedit, excudat. Hac formâ contentus sum. Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Octob. ∞. I Ↄ C. XXXV.

EPISTOLA XXXV.

Antverpiam.

EIDEM.

VArias silentium meum caussas habuit: quas omnes bonus affectus tuus excusabit. Animus sanè nunquàm silet, sæpiusque ad te mittitur, & tanquàm scribam. Venire etiam ipse cogitaveram: sed valetudo non permisit. Non ægroto quidem, corpus tamen affectum habeo, quasi ægrotem. Hæc ætatis & vi-

& vitæ vitia sunt, quæ cùm corrigi non possint, toleranda sunt. Studia interim, & in quiete mea, sine impedimento tracto; imò ad hæc tanquàm solatia venio, ut curas molestiasque molliam. Historiæ Belgicæ liber singularis, de Obsidione Lovaniensi, ad *CNOBBARUM* missus est. Te rogo quoque, ut per te, & tuos editionem promoveas. Doctissimum ingeniosissimumque M. *ALOYSIUM LAUWENBACHIUM* an interpellare ausim? Fac meo nomine, plurimùmque me & humanitati ejus & eruditioni commenda. Si post correctiones solitas suo etiam oculo folia singula dignabitur, non me tantùm, sed ipsum sibi Lovanium obstringet. Huc quoque venturum intellexi. Utinam tam felix sim! De Bissexto nescio quod scribebam, animi caussâ, ut semel quæ in hoc argumento rara sunt, complecterer: annum hunc simul Bissextilem exornarem, diemque intercalarem. Hic cur post VII. Kalendarum Martii insecatur, qui Decembri adjiciendus erat, pauci fortassis observarint. Caussam igitur hîc videbis. De *IUSTO* an nescis? In Poloniam abiit. Tu vale, & R. Patrem Rectorem, omnesque tuos officiosissimè saluta. Lovanii. in Arce, v. Eid. Januarii ∞. IↃC. XXXVI.

 EPISTOLA

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO,

Filio Suo.

LItteris meis delectaris? Et ego tuis, quæ non ad me tantùm, sed ad sorores scribis. Sed *EVGENIA* cum *MARGARETA* Antverpiam profecta est, per Mechliniam; tèque in reditu fortassis videbit. Ratio itineris aliter institui non potuit. Librum *De Bissexto* propediem jam typographus absolvet: quem ad te mittam, ut excellentissimo D. Marchioni offeras. Tuum tibi quoque exemplar habiturus, alterumque, *D. TAILLENO* dandum: ad quem tum simul scribam. Pars Bissexti & velut appendix, *Dierum apud Indos Diorthôsis* erit: quæ ad ipsum Regem nostrum titulo *Corona Radiata* dirigitur. Volumen non dicam vastum esse, sed utilissimum, laude & præmio dignum, si in Orbe terrarum ordo æstimandus est, quo omnia conti-

continentur. Sphæræ nónne aliquam jam notitiam adeptus es? Hoc subsidio quæ scripsi intelliges, & ad veram eruditionem magis magisque animum attolles. Leges libros meos, & me ipsum audies. Id verò nónne videre est? Litteras hîc ab *ANDREA* habes; suas quoque adjungit *IVSTVS*, è quibus intelliges, quid de libris fieri velim; quorum nuper catalogum accepi. *ANNA CHRISTINA* & *CAROLINA* ornamenta quæ exspectas linea, quamprimùm mittent. Tu me mone siquâ re indigeas; de te quoque, & hoc vitæ tuæ statu scribe. Bene tibi esse, maximum meum gaudium erit. Vale, & salve. Lovanii, in Arce, VII. Eid. Februarii ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XXXVIII.

Bruxellam.

JO. STEHANO PUTEANO

Societatis IESV Sacerdoti.

TAndem nunc scribo, tantò avidiùs quantò diutius silui. Caussæ quidem

 graves

graves ab officio detinuêre calamum, cùm animus interim sæpiùs loqueretur. De valetudine nihil dico; quæ jam melior. Sed quemadmodùm annus hic meus Climactericus est, aliquid terroris, si non periculi habuit, & fortassis habebit. Ad nutum ergò Dei me compono. Jam etiam quàm doleo, nihil me in negotio, quod petis, posse! Difficultates ipsi hîc Admodùm Reverendo Patri Provinciali proposui. Rogo igitur, ut quantum velim ames, quantum non possim excuses. Liber meus de Bissexto tandem absolutus est, postquàm plures apud typographum menses hæsit. Adjungo Dierum apud Indos Diorthôsin, quæ ad Regem dirigitur. Mox ad te volumen mittam, ut Admodùm Reverendis Patribus & Amicis meis Optimis *VANDERMYO* & *FRISIO*, cæterisque ostendas. Hos ut vehementer amo, ita officiosè saluto. Te Mater tua, fratres, sorores. *HESSELUS* apud Marchionem *MIRABELLIUM* est, & inter officia Aulica etiam ingenium studiis occupat. *MARGARETAM* soror *EUGENIA* Antverpiam duxit, oculi vitio, quo laborabat, liberandam. Deus adsit, Te servet & conservet, quod maximum mihi solatium erit. Reverendum Admodum Patrem Rectorem, omnesque tuos animo veneror.

Vale.

Vale. Lovanii, in Arce, Eidibus Februarii, ∞. IↃC. XXXVII,

EPISTOLA XXXVIII.

Dunckerckam.

E I D E M.

VAriam maris & militiæ fortunam esse, è nupera Belgica, nunc è Latina narratione abundè intellexi. Horrebam te sic vehi, recreabar te sic scribere. Sed quando rursus te videbo & complectar? Matris, fratrum, sororumque desiderium ingens est, & maximè periculo tuo commoventur. Mihi solatio est, quod lubenti omnia animo facis, quæ à tuis tibi injunguntur: injungunt enim illi, quæ tibi sciunt grata esse, adeoque expeti. Quàm suavis hac de re nuper scriptio tua, quàm pia, quàm prudens! Mi FILI, quæ vis, & ipse volo, quamvis quati animum sentiam; quamvis te malim in terra quiescere & securum esse, quàm in aquis concuti & periclitari. Scio ubique mare esse, & naufragium ubique: scio homini ubique fatum minari, non minùs in palatio, quàm navigio, & ægrotare, &

mori quemcumque posse. Quid tamen est? Plura in mari, quàm in terra timenda sunt: & longiùs distat, qui mari dividitur. Sic ut scribam, natura jubet: ratio, ut animo te complectar, cogitemque, ubicumque sis, præsentem esse: si & Religionem advocem, Deum propitium habes, quem tantò majore fiduciâ colis, quantò graviores labores & pericula subis, semper lætus, quia pius es, tanquàm in omni portum tempestate invenias: victoriam in omni pugna. Arma tua constantiæ verba sunt, & directæ in cælum preces; quæ à cælo tanquàm sagittæ redeunt, animosque hostium feriunt; quod amplius est, quàm corpora vulnerare. Felicitas quoque tua in eo simul posita est, quòd socium habes, qualem optare posses, Optimum illum Doctissimumque VANDERMYUM, & ad omnem prorsus elegantiam & humanitatem factum. Amo virum, quamvis siluerim: sed hoc si crimen est, etiam in te peccavi. Ut veniam merear, ad pœnam paratus sum, sed mitissimam illam, Amoris, non iræ filiam, & quæ novum Amorem gignit. Seriò, absfui, occupatus fui, &, quod decumanum putes, in Aula. Tandem igitur aliquando stipendia apud Mediolanenses reliqua ex Ærario Belgico persolvenda sunt, jubente ipso Rege, volen-

volente Cardinali, propitiis Sanctioris Ærarii Præfectis. Et hoc mihi mare fuit, sed secundâ aurâ navigavi, & in portum, ut sic dicam, invectus sum. Nunc magis magisque studia mihi cordi sunt, & ut Opera mea omnia, in Corpus collecta, lucem videant, læto quasi auspicio AMOENITATUM. Hoc titulo complexus sum, quicquid variam doctrinam spectat, & parum abfuit, quin CHAOS appellarem. Martyremata necdum prodiêre: aliquot adhuc Epistolarum Centuriæ paratæ, in quibus & tuum aliquoties nomen leges. JUSTUS Operum meorum omnium Præfationes collegit vasto satis volumine: in quo nemo non videbit quid hactenus scripserim, certè quid conatus sim: fortassis & quid coner. An de familiæ statu addo? Prosperè agimus. JUSTUS mihi adest, EUGENIA matri, CAROLINA rem curat domesticam, AUBERTUS & URBANUS, litterarum caussâ, in ludum eunt, & à Patribus Augustinianis hîc erudiuntur. MARGARITA Antverpiæ est, & summum ingenium egregiè nutrit. MAXIMILIANUS & ANDREAS in bello: ille adversùs Batavos, hic adversùs Gallos. Obsidio nos Bredana solicitos habet, magnum momentum belli, sive feliciùs, sive infeliciùs gerendi. Hostis jam aggere munitus

tus est: omnia tamen nostri tentant, ut perrumpant, satis & animosi, & validi. Spes omnis nostra in Deo est, & Principe colente Deum: in Caussa est, quam succumbere Deus non sinet. Vale, & hoc omnino age, ut nos visas: sed cum illo ipso, quem alterum te jam appello, & ad quem breviter ecce scribo. Admod. R. P. Rectorem, omnesque tuos salvere jubeo: te mater, fratres, sorores, etiam HESSELUS, qui absente MIRABELLIO apud nos suspirat. ANNA-CHRISTINA & GENOVEVA adhuc Gennapii sunt, & reliquiis febris tertianæ detinentur: ut valeant voveo, imò ut ad nos redeant. Lovanii, in Arce, III. Eid. Augusti. ∞. I Ↄ C. XXXVII.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

PETRO GRYPHIO

Cognato Suo.

NIHIL mihi tam amicâ congratulatione gratius esse potuit: quam sic legi, tanquàm

quàm ab *OEMIIS* omnibus *GRYPHIISQVE* scriptam. Quemadmodùm novis nuptiis prior affinitas non destruitur: ita magis magisque nova ostendet, eodem semper animo *PVTEANOS* constare. Habui Generum, quem filium potui appellare: habeo, qui illius mihi bonitatem in memoriam revocat. Ita me Deus; felix fui, ut iterum essem: & jam faciliùs mihi præstantissimus *BONVICINIVS* obtigit; quia integerrimus *OEMIVS* obtigerat. Ad vos igitur redit conditionis meæ portio: vos semper, & te vel maximè, Candidissime *GRYPHI*, fido & officioso affectu complexurus sum. Ita vale, & feliciter proficiscere. Salutem ut Dordraci Ornatissimæ Matronæ D. *GRYPHIAE* Amitæ tuæ, omnibusque propinquis & Amicis dicas, rogo. Lovanii, in Arce, VI. Kalendas April. CIↃ.IↃC.XXXVIII.

EPIS-

reddar, ubi pristino te robori restitutum esse intelligam. Rogo igitur ante omnia, ut quod in morbo molestum est, constanter feras: remedia admittas, quæ Medici consilio necessaria sunt. Non præceps quidem, ut convalescas; sed ut patiaris sanitatis gradus esse. Præstat enim securè, quàm celeriter. Unicum meum desiderium est, ut hîc apud nos sis, in tua domo, ac vitali aurâ perfruaris. Ubi patiens itineris affectum jam corpusculum erit, committe reliquam Arci nostræ valetudinem, faciliùs sic quidem recuperandam. Felix ero, quando te complectar; felicissimus, quando sanum. Nunc nolo etiam te scribendi molestiam sumere. Pars tui nónne suavissima *EVGENIA* mea est? Hæc me de morbi statu certiorem tribus verbis faciat. Nam quamvis fausta omnia *ANNA-CHRISTINA* nunciando, bonam spem meam confirmet; ambiguus tamen sim, nisi novas litteras ex intervallo videam. Sed non debeo longiore jam scriptione oculos tuos fatigare: exosculari malim. Convalesce, Optime *FILI*, ut ipse valeam. Ego, uxor, liberi apprecamur. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Maii, CIↃ. IↃC. XXXVIII.

EPISTO-

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

EIDEM.

Epistolam tuam ſum exoſculatus, quia jam à perſanato ſcriptam, quia de re omnibus nobis gratiſſimâ, illi glorioſiſſimâ, quem ego æterno cultu veneraturus ſum; natum, ut priſci ævi virtutes noſtro redderet; ſuo quoque patrocinio languentes inter arma Muſas complecterétur. Heri quidem obiter ſcripſi, & novum Magno Heröi honorem gratulatus ſum. Sed de Præfectura ſimul Tormentorum Bellicorum adverſùs Gallos neſciebam. Rogo igitur, ut meum delictum tempeſtivâ facundiâ excuſes. Licétne apud te liberè? Si tempeſtiva petitio eſt, & familiæ ſplendorem Excellentiſſimus Heros noſter aucturus, vide quæſo, an *AVBERTVS* meus, Optimæ indolis puer ad locum pueri Honorarii poſſit adſpirare. Vehementer ille cupit, ac ſe beatum fore arbitratur: Ego, ſi expedire judicaveris. D. *CAROLVM CENTVRIONEM* videre ac venerari cupio: ſed nónne Lovanium ex-

EPISTOLA XL.

Brugas.

FAUSTO à S. MARIA

Carmelitæ Discalceato.

TRISTIS scribo, ob mortem integerrimi fratris tui R. P. STEPHANI, quem scire debes toti familiæ flebilem esse. Quæ in consolationem dici queunt, jam expendi omnia: hærent tamen semina doloris, & afficiunt animum, quamvis exsurgentem. Quoties cogito verò, piè, libenter, constanter obiisse bonum Patrem, serenior sum, & Dei agnoscens imperium, magis magisque totam necessitatem expendo. De te nunc magis solicitus sum: de quo nihil hactenus audio; & quem propiùs nobis adesse velim. Utinam Lovanii! Utinam saltem Antverpiæ agas! Nónne in potestate tua fuit? Cogita meum desiderium, matris, & familiæ totius esse. Hæ à Patruo MATTHIA litteræ sunt, quas vehementer mihi ad te transferendas commendavit. Nónne responsum merentur? Mitte quæso, &

quam-

quamprimùm. Soror tua EVGENIA denuò nupta est, atque admodùm feliciter, D. LAZARO BONVICINIO, in quo viro, ut reliqua sileam, omnes simul videntur virtutes relucere. Cogita, hunc unum esse, quem ut fratrem Magnus noster CANTELMVS habet ac diligit. Ego quid agam? Interdum ægroto. Fortassis indicabunt morbum meum hæc Epigrammata Belgica, populo scripta. Lege tamen, & me ama etiam Honorii nomine. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Maii. ∞. IↃ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, posteà Ser.[mo] *Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero Suo.*

ITa me affligit invaletudo tua, ut neque animo, neque corpore serenus sim. Me mihi reddar,

EPISTOLA XL.

Brugas.

FAUSTO à S. MARIA

Carmelitæ Discalceato.

TRISTIS scribo, ob mortem integerrimi fratris tui R. P. STEPHANI, quem scire debes toti familiæ flebilem esse. Quæ in consolationem dici queunt, jam expendi omnia: hærent tamen semina doloris, & afficiunt animum, quamvis exsurgentem. Quoties cogito verò, piè, libenter, constanter obiisse bonum Patrem, serenior sum, & Dei agnoscens imperium, magis magisque totam necessitatem expendo. De te nunc magis solicitus sum: de quo nihil hactenus audio; & quem propiùs nobis adesse velim. Utinam Lovanii! Utinam saltem Antverpiæ agas! Nónne in potestate tua fuit? Cogita meum desiderium, matris, & familiæ totius esse. Hæ à Patruo MATTHIA litteræ sunt, quas vehementer mihi ad te transferendas commendavit. Nónne responsum merentur? Mitte quæso, & quam-

quamprimùm. Soror tua *EVGENIA* denuò nupta est, atque admodùm feliciter, D. *LAZARO BONVICINIO*, in quo viro, ut reliqua sileam, omnes simul videntur virtutes relucere. Cogita, hunc unum esse, quem ut fratrem Magnus noster *CANTELMVS* habet ac diligit. Ego quid agam? Interdum ægroto. Fortassis indicabunt morbum meum hæc Epigrammata Belgica, populo scripta. Lege tamen, & me ama etiam Honorii nomine. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Maii. ∞. IↃ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, posteà Ser.^{mo} Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero Suo.

ITa me affligit invaletudo tua, ut neque animo, neque corpore serenus sim. Me mihi reddar,

EPISTOLA XL.

Brugas.

FAUSTO à S. MARIA

Carmelitæ Discalceato.

TRISTIS scribo, ob mortem integerrimi fratris tui R. P. STEPHANI, quem scire debes toti familiæ flebilem esse. Quæ in consolationem dici queunt, jam expendi omnia: hærent tamen semina doloris, & afficiunt animum, quamvis exsurgentem. Quoties cogito verò, piè, libenter, constanter obiisse bonum Patrem, serenior sum, & Dei agnoscens imperium, magis magisque totam necessitatem expendo. De te nunc magis solicitus sum: de quo nihil hactenus audio; & quem propiùs nobis adesse velim. Utinam Lovanii! Utinam saltem Antverpiæ agas! Nónne in potestate tua fuit? Cogita meum desiderium, matris, & familiæ totius esse. Hæ à Patruo MATTHIA litteræ sunt, quas vehementer mihi ad te transferendas commendavit. Nónne responsum merentur? Mitte quæso, & quam-

quamprimùm. Soror tua *EVGENIA* denuò nupta est, atque admodùm feliciter, D. *LAZARO BONVICINIO*, in quo viro, ut reliqua sileam, omnes simul videntur virtutes relucere. Cogita, hunc unum esse, quem ut fratrem Magnus noster *CANTELMVS* habet ac diligit. Ego quid agam? Interdum ægroto. Fortassis indicabunt morbum meum hæc Epigrammata Belgica, populo scripta. Lege tamen, & me ama etiam Honorii nomine. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Maii. ∞. IↃ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, posteà Ser.^mo Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero Suo.

ITa me affligit invaletudo tua, ut neque animo, neque corpore serenus sim. Me mihi reddar,

EPISTOLA XL.

Brugas.

FAUSTO à S. MARIA

Carmelitæ Discalceato.

TRISTIS scribo, ob mortem integerrimi fratris tui R. P. STEPHANI, quem scire debes toti familiæ flebilem esse. Quæ in consolationem dici queunt, jam expendi omnia: hærent tamen semina doloris, & afficiunt animum, quamvis exsurgentem. Quoties cogito verò, piè, libenter, constanter obiisse bonum Patrem, serenior sum, & Dei agnoscens imperium, magis magisque totam necessitatem expendo. De te nunc magis solicitus sum: de quo nihil hactenus audio; & quem propiùs nobis adesse velim. Utinam Lovanii! Utinam saltem Antverpiæ agas! Nónne in potestate tua fuit? Cogita meum desiderium, matris, & familiæ totius esse. Hæ à Patruo MATTHIA litteræ sunt, quas vehementer mihi ad te transferendas commendavit. Nónne responsum merentur? Mitte quæso, & quam-

quamprimùm. Soror tua *EVGENIA* denuò nupta eſt, atque admodùm feliciter, D. *LAZARO BONVICINIO*, in quo viro, ut reliqua ſileam, omnes ſimul videntur virtutes relucere. Cogita, hunc unum eſſe, quem ut fratrem Magnus noſter *CANTELMVS* habet ac diligit. Ego quid agam? Interdum ægroto. Fortaſſis indicabunt morbum meum hæc Epigrammata Belgica, populo ſcripta. Lege tamen, & me ama etiam Honorii nomine. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Maii. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Caſtrenſi, poſteà Ser.mo Duci Mutinenſi à Conſiliis & Secretis, Genero Suo.

ITa me affligit invaletudo tua, ut neque animo, neque corpore ſerenus ſim. Me mihi reddar,

reddar, ubi pristino te robori restitutum esse intelligam. Rogo igitur ante omnia, ut quod in morbo molestum est, constanter feras: remedia admittas, quæ Medici consilio necessaria sunt. Non præceps quidem, ut convalescas; sed ut patiaris sanitatis gradus esse. Præstat enim securè, quàm celeriter. Unicum meum desiderium est, ut hîc apud nos sis, in tua domo, ac vitali aurâ perfruaris. Ubi patiens itineris affectum jam corpusculum erit, committe reliquam Arci nostræ valetudinem, faciliùs sic quidem recuperandam. Felix ero, quando te complectar; felicissimus, quando sanum. Nunc nolo etiam te scribendi molestiam sumere. Pars tui nónne suavissima *EVGENIA* mea est? Hæc me de morbi statu certiorem tribus verbis faciat. Nam quamvis fausta omnia *ANNA-CHRISTINA* nunciando, bonam spem meam confirmet; ambiguus tamen sim, nisi novas litteras ex intervallo videam. Sed non debeo longiore jam scriptione oculos tuos fatigare: exosculari malim. Convalesce, Optime FILI, ut ipse valeam. Ego, uxor, liberi apprecamur. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Maii, ꟾↄ. IↃC. XXXVIII.

EPISTO-

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

EIDEM.

EPistolam tuam ſum exoſculatus, quia jam à perſanato ſcriptam, quia de re omnibus nobis gratiſſimâ, illi glorioſiſſimâ, quem ego æterno cultu veneraturus ſum; natum, ut priſci ævi virtutes noſtro redderet; ſuo quoque patrocinio languentes inter arma Muſas complectèretur. Heri quidem obiter ſcripſi, & novum Magno Heröi honorem gratulatus ſum. Sed de Præfectura ſimul Tormentorum Bellicorum adverſùs Gallos neſciebam. Rogo igitur, ut meum delictum tempeſtivâ facundiâ excuſes. Licétne apud te liberè? Si tempeſtiva petitio eſt, & familiæ ſplendorem Excellentiſſimus Heros noſter aucturus, vide quæſo, an *AVBERTVS* meus, Optimæ indolis puer ad locum pueri Honorarii poſſit adſpirare. Vehementer ille cupit, ac ſe beatum fore arbitratur: Ego, ſi expedire judicaveris. D. *CAROLVM CENTVRIONEM* videre ac venerari cupio: ſed nónne Lovanium ex-

cursurum? Ego quoque, uxor mea, liberi, Te EVGENIAMQVE exspectamus. Si me ames, valetudinem tuam cura, & suavissimè salve. D. IO. BAPTISTÆ meliorem intimo animo precor. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kalendas Junii. ∞. I Ͻ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIII.

Brugas.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

Litteras & annulos accepi, & gratiam dico: tuæ jam ad Patruum missæ. Aliúdne dicam? De CANTELMO rumor non fefellit. Tormenta eum Bellica adversùs Gallos Præfectum habent: habet simul Flandria: Virum, qui labantem hactenus fortunam bonæ caussæ eriget: natus ut de bonis omnibus bene mereatur. Noster etiam privato affectu est, publico litteras & elegantias pridem amplexus. Optimum verò LAZARVM meum

um (filium, an generum nominabo ?) hac occasione videbis, qui dimidium *CANTELMI* est: videbis Sororem tuam *EVGENIAM*, quæ maritum vel comitabitur, vel sequetur. Nos ut solemus: feliciores futuri, quando te vel propiorem, vel quod summè cupimus, præsentem habebimus. Veni, ut in te desiderium Optimi, hei! Patris *STEPHANI* leniamus. *MAXIMILIANVS* hîc jam est, in novam turmam transcriptus. *ANDREAS* Ariæ apud Præfectum suum *AVALVM*. *AVBERTVS* in familiam & locum honorarium à *CANTELMO* mox assumendus. Epigrammata Belgica placuisse gaudeo, quæ auctiora propediem prodibunt. Vale, & A. R. Patrem Priorem, omnesque tuos salvere jube. Lovanii, in Arce. Postrid, Pentecostes. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA XLIV.

Brugas.

EIDEM.

Litteras tuas, annulis gravidas, rectè mihi redditas esse, ante dies aliquot scripsi, &

exploratâ mittendi occaſione uſus ſum. Hic adoleſcens diligens certè fuit, mox jam, labente quamvis die, hinc diſceſſurus. Valemus igitur, ſingulari Dei beneficio, ac plenâ anni florentis amœnitate fruimur. Nôſti Arcem: quæ tamen, te abſente, plenè non ridet. Deſiderium tui noſtrum ultimis litteris meis aperui. Præſentia certè deinceps tua, bona valetudo noſtra erit. Ego leniter ſtudiis me oblecto, ac philoſophor: mox etiam Bivium illud vitæ humanæ, de Virtutibus & Vitiis prælo commiſſurus ſum; ſimulque reliqua Circuli Urbaniani, ab Italo illo eodem rurſus petulantiùs tentati. Sed rejecimus hominem; qui cùm pauca ad rem diceret, & ubique nugaretur, non videtur egiſſe aliud, quàm ut oſtenderet, ſe cavillatorem eſſe. Mihi ludere libuit, ideoque abortivam ejus ſcriptionem eſſe, facetè docui. Secundas, ut ſic dicam, vindicias videbis. Tertia & Quarta Centuria Epiſtolarum procedent tamen: ut primæ & Secundæ ſimiles ſint, & ſecundum, ſive novum augeant Apparatum. Epigrammata noſtra Belgicâ plauſum hîc inveniunt: jam pleno anno aucta, ut rurſus excudantur. Priora enim exemplaria omnia penitus diſtracta. Ergò CCC. LXV. erunt Epigrammata, quot dies numerantur. Quid addam verò? De CANTELMO audieris:

audieris: & nónne scripsi? Tormentis præest Bellicis, & Flandriæ. Luculenta sic quidem conditio D. LAZARO meo obtingit: viro planè optimo, & omni fortunâ digno. JUSTUS Bruxellæ adhuc est: MAXIMILIANUS apud nos, ut nouo instructus equo: ad novam turmam, quæ Diesthemii est, proficiscatur. EUGENIAM quotidie exspectamus. AUBERTUS jam in puerum honorarium à CANTELMO adscitus: qui heri Bruxellam vectus est curru. Siquid prætereà erit, mox scribam. Vale, & ab omnibus salve. Reverendum quoque Patrem Priorem, omnesque tuos salvere jubeo. Lovanii, in Arce, v. Kalendas Junii. ∞, I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTO-

EPISTOLA XLV.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO.

Iudici Castrensi, posteà Ser.^mo Duci Mutinensi, à Consiliis & Secretis, Genero Suo.

JUSTUS igitur meus rediit: sed te, suavissimamque conjugem excipere simul voluissem. Nunc quia differtur hoc solatium, majori desiderio incendor. Differri etiam patior, ne in publica commoda, atque etiam privata tua peccem. Tanquàm adsis, quotidie cogitatione & vultum tuum, & pectus usurpo. Cogitatione, velut amoris umbrâ, ut ipso mox lumine totus cingar. Sic amœnus, sic lætus penitus ero. Ad summam tu mihi in ore & in oculis semper es, & tuo ingenio tuâque virtute tranquillitatem meam metior. Ergo quemadmodùm te amo, ita amari desidero: ne plura jam dicam. CAROLINAM meam

meam excùrrere sino; ut mox cum sorore ad nos redeat, comesque non longi itineris sit: sed te ductore. Vale, nam abrumpere cogor, à Viris Religiosis hoc ipso momento interpellatus. Alteram tui partem omnes salvere jubemus. Lovanii, in Arce, VIII. Eid. Junii, ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLVI.

Antverpiam.

FAUTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

UT valere me videas, scribo: breviter tamen, quia nihil ferè est quod scribam. Suas enim partes quia IVSTVS implet, meas simul comprehendit. Superavi jam verò, quo vexatus fui, dentium dolorem: morâ nescio, an remedio depulsum. Quod mireris, Tabacci fumum in aurem dexteram (juxta hanc enim defluxio à cerebro erat) inflari curavi non sine præsenti levamento. Humorem ipsum, inserendo in os ejusdem herbæ fo-

liculum, quotidie manè, & ante cœnam extraxi. Experire, an meo exemplo curari & alii queant. Solet enim hoc malum, ut & cætera, quia non ab unâ oritur caussâ, non eodem remedio mitigari. De studiis non addo: feriari coactus sum; nisi quòd Epigrammata illa Belgica ad incudem revocârim. Tot propediem leges, quot dies Annus vertens continet; & hic numerus justum satis volumen reddit, cœptum jam excudi. Aliquid etiam à forma venustatis, à typis, quippe grandioribus, magnificentiæ accedit: quemadmodùm unius paginæ & Epigrammatis specimen hîc vides. In Pompa Prosphonetica idem Typographus pergit: *CNOBBARA* in Epistolis. Statui verò Victoriarum nostrarum Diaria describere, præsertim cùm intelligam, id Principi Cardinali gratum fore. Addet feliciora etiam Deus, ut argumentum extendatur. Te vehementer rogo, ut *AVBERTVM* officii sui moneas: pius, bonus, sobrius, & honestus semper sit; *D. ANDREÆ CANTELMO* placere semper studeat, illum observare, vereri, venerari. Si quid otii, lectioni, & scriptioni, imò & numeris impendit. De hac re simul agi cum *D. LAZARO* poterit: quem & fratris loco habeas cupio. Statueram ad ipsum quoque scribere; sed hic adolescens mox abiturus est. Salutatio e-

pistolæ

pistolæ loco sit: ac tuus sermo epistolam faciat. Exspecto verò si quid prætereà ad victoriam Calloensem, sive Andomaropolitanam existimabit pertinere. Ipsum *D. CANTELMUM*, ut officiosissimè nomine meo salutes ac venereris rogo: cui ego vivere & mori cupio. Vale, & à Matre, Fratribus, Sororibus ac totâ familiâ salve. *MAXIMILIANUS* pars quoque expeditionis Verbroucquianæ. Sub *D. CANTELMO* fuit: inde ad nos venit, & febriculâ tentari cœpit. Sed sanitati redditus in castra sua, Mechliniæ vicina, se recepit. *A.R.P.* Priorem, omnesque tuos salvere etiam jubeo. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Augusti, CIↃ. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA XLVII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO,

V. N. Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato Suo.

Utinam coràm aliquando liceat audire & reddere voces! Vide quæso quid agen-

dum ſit; & veni, ut agamus. Ego ſanè urgere non deſinam, feliciores habiturus vitæ & ætatis reliquias; tua ſi licebit conſuetudine frui. Ita me Deus, pauci admodùm genii mei ſunt, pauci tranquillum illud honeſtum amant: tu mecum eodem vidêris aſtro natus eſſe, iiſdem capi ſtudiis, quæ ad animum magis quàm peritura fortunæ bona referuntur. Nimirum pluris eſt ſapere quàm divitem eſſe. Sed qui habet quod neceſſum eſt, & quod ſatis, dives eſt. Quomodo ſatis? Si conditionis noſtræ modum non excedemus. Itaque ut felices ſimus, comprimenda vota ſunt quotieſcumque æſtuant. Unus erit, qui mediocritate animum circumſcribet. Hanc nónne auream antiquitas appellat? Et ego appello. Te amo, verè aureum, verè meum, virtutibus & elegantiis deſtinatum. Aliunde dicam? Velim & VAN LONIUM audias, quo cum philoſophari ſoleo, is verò te præſentem quoque optat. Catalogum librorum tuorum avidè percurri. Theſauri ſunt, & rarioris doctrinæ uniones. Si adſim, curioſum me dixeris. Avidè ſanè nonnullos inſpiciam; præcipuè verò Octaviam Ferrarii Mediolanenſis de Diſciplina Eutylia librum; & Laurentii Capelloni Diſſertationes Hiſtorico-politicas, Italicè ſcriptas. Has apud amicum hîc videram: ſed fruſtra cu-

quæsivi. Scribendi placebat ratio, quia singularis, & nova: placebat argumentum, à nostra potiùs, quàm antiqua Historia desumptum. Sanè si uti exemplari tuo licebit, insigne beneficium putabo. Hîc nunc Centuriam tertiam Epistolarum habes, è novo (quem promovere pergo) apparatu. Vale, & me ut amas, ama. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA XLVIII.

Mechliniam.

EIDEM.

O Te benignum & amicum! Qui ut bene de studiis meis merearis, aliquid tuis detractum is. Talis sanè Ferrarii de Encydio liber, tales Capelloni Dissertationes politicæ nuper ad me missæ, geminum munus: pro quo gratiam quoque geminam scribo; imò ter geminam, ut VANLONII simul nostri obligationem includam. Utinam apud me sit, quod pariter genio tuo allubescat! Mea quidem cùm venies (venies autem cùm primum) opera quædam parata erunt: nunc Utopiam hanc Hispanicam cape, sive rei sive linguæ

guæ caussa, & exiguum pignus boni consule. Relegi posteà catalogum nuper ad me missum, oculosque conjeci in Heronem Aleandrinum à Bernardino Baldo Italicè versum. Hunc ut librum tecum conferas rogo, & aliquo apud me tempore usurarium esse velis. Faxo ad te ipse simul lectionis fructus redeat, si quem inde recepturus sum. Sed heus, si amicitiam nostram salvam esse voles, in Arce hac nostra hospitium capies. Id ego, uxor, filii, filiæ desiderant imò urgent. A VANLONIO nostro simul salve. Lovanii, in Arce, Nonis Aprilis. ∞ . I Ɔ C. XXXIX.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, posteà Ser.mo Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero Suo.

POst morbum depulsum gratiores jam etiam litteræ sunt: quæ tempestivè missæ, omne

omne silentii delictum (si tamen ullum fuit) suavissimâ salutis significatione delent. Sed per Deum, cura valetudinem, si nos valere cupis: & sic scribe, ut valere te sciamus. Nos autem satis commodè, nimirum in quiete Arcis & amœnitate. Sæpius tamen curæ velut morbi sunt, atque adeò scriptionis officium interrumpunt. *EVGENIA* verò tua me diligentior, cùm districtus essem, litteras sola misit; meo simul nomine officiosa. De *ANDREA*, amo solicitudinem tuam: rectè verò *MAXIMILIANVS* se conjungat in eandem turmam. Exspectabo igitur, ut sciam, quid Fortuna dederit. Sed *AVBERTVS* pergit ne castra ferre? Sic aliquando miles quoque erit; nisi alio mentem maturiore consilio flexurus. Sed unumquemque genius suus ducit. Mihi hîc ante dies pauculos Elegia de Septenario Urbis Bruxellensis excidit, quam *IVSTVS* meus Notis Historicis Philologisque mox explicabit. Nimirum libellus erit, & ad te quoque veniet. Nunc Pompæ Prosphoneticæ exemplar cape, non sanè eo nitore, quo volebam. Sed à plena editione & hic & alii libri splendorem aliquando capient. Publicè in A. Gellio versor, privatim opera excudenda promoveo. Inter hæc *BIVIVM* est, quod nescio an commodè

dè in Dialogum mutari possit, quemadmodùm Heros noster desiderabat. Quæ de Bello scribis, libenter legi: invitus tamen, quæ de Hesdino. Jam verò cessisse hosti oppidum sparsus hîc rumor indicat. Quæ igitur jam consilia, & quo dirigenda? Prælio decernere periculosum est: sed si virtute militum Superiores sumus, eâdem recuperari Hesdinum fortunâ poterit, quâ, si pugnâssemus, fuisset liberatum. Si dubia jam magis victoria sit, securos præstat, quàm audaces esse. Sed contineo calamum: ac te audire malo. Ad *ANDREAM* & *AVBERTVM* desiderabam sanè scribere, sed tempore excludor. Suppleat affectus litteras: cùm etiam quæ scribenda erant, hîc jam expresserim. Amo utrumque, salvum & incolumem cupio, & rectè agere. Salutem igitur à me à matre & tota familia capiant: qui te omnes magno affectu complectimur, & quamvis absentem in oculis habemus. Huc redeo, & firmam valetudinem apprecor. Ad Heroëm nostrum Excellentissimum proximè scripturus sum: cui ut me commendes, & liberos meos, jam milites, rogo. Lovanii, in Arce, IV. Non. Jul. ∞. I Ↄ C. XXXIX

EPIS-

EPISTOLA L.

Madritum.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO,

Filio Suo.

SEmper mihi in animo versaris, semper de te solicitus sum, an valeas, an ex animi sententia succedant omnia, an ferre ipse absentiam queas. Nuper quidem ex proscripto te commendaveram: sed quo fructu, nondum intellexi. Hanc epistolam à D. Laurentio Ramirez accipies, quem rogavi iterum, ut omni te affectu prosequeretur. Me minùs amet, quàm te non amet. Majus enim profectò beneficium accipere non potero, quàm si in te benignus sit. Sed fortassis jam cum Marchione in nova Castra profectus es. Et Nónne is cum Rege? Si potes, scribe, & me litteris tuis solare. Hæc enim deinceps omnis voluptas mea, matrisque tuæ erit, bene tibi esse. De Eugenia quæris? Feliciter cum optimo Marito Mutinam pervenit, ac jam rogare in-

re incipit, ut aliquam etiam è sororibus ad se mittamus, vel aliquem è fratribus benignè habendum. Sed de hac re tempestivè statuemus. De India cogitationem depone, sed si sacra te toga capiat, Canonicatum aliquem Belgicùm dare commendatio Regia poterit: si litteræ ad Serenissimum Principem Cardinalem impetrentur. Utinam verò tali aliquâ occasione ad nos redeas! Vel tali munere, quod & honestum, & simul utile sit. Cùm calamus maximè occupatur, solo ingenio aut eruditione pauci surgunt. Sed nolo de his jam disputare. Intelligis quæ optima sunt: ut in præsenti tranquillo feras animo, quæ ad gustum non sunt, & rogo & hortor. Meliora mox erunt, atque ego allaborabo ut sint. Ideóque D. Laurentium Ramirez seriò interpellabo ùt juvet. Andreas bene se gerit, ac strenuè Signiferi officium obit: quia ad hyberna milites eunt, brevi ad nos excursurus est: cui pulcherrimam epistolam tuam, Gallicè scriptam, ANNA-CHRISTINA præleget. Certè magno mihi solatio fuisse, scire debes, fuisse & matri ac toti familiæ. AUBERTUS hac æstate in Castris apud D. AND. CANTELMUM fuit: posteà laborare febri cœpit. aërisque mutandi causâ Brugis (hic sedem & gubernationem CANTELMUS habet) ad
nos

nos venit. Bono sanè consilio: convalescit. URBANUS in litterarum rudimentis pergit: sed apud Pastorem Wackerselienſem insignem virum & Amicum nostrum: apud quem, ut spero, proficiet. Pagus est inter Lovanium Mechliniamque, satis amœnus, quò aliquando excurro. ANNA-CHRISTINA, CAROLINA, MARGARETA, rem familiarem curant, & ex intervallo instrumenta tractant Musica. Lectitant etiam Eprigrammata mea Belgica, sic scripta, ut & cantari possint. Trecenta Sexaginta sex sunt, quot dies anni, computato etiam bissextili. Ego in lectionibus meis & scriptionibus pergo. Vale mi Optime Fili, mi HESSELE. Ego, Mater tua, Fratres, Sorores toto animo te Complectimur. Lovanii, in Arce, Pridie Non. Novemb. Natali inquam meo, LXVII. Anno CIↃ.IↃC.XL.

EPISTOLA LI.

Madritum.

EIDEM.

LItteras tuas quamvis avidè exspectem, non tamen potui non scribere, meum,

Matris tuæ, Fratrum, Sororumque affectum explicare. Nos benignitate Dei rectè omnes valemus, tui semper memores: nihil etiam intereà temporis novi accidit, nisi JUSTUM à militibus Bergisomensibus è prædio suo abductum fuisse; sed supervenientibus nostris, miro quodam modo liberatum. EUGENIA fortassis cum Marito in Italiam profectura. Si quid erit certi, mox te certiorem faciam: tu me de statu tuo, ac valetudine. Litteras destinare ad D. MICHAELEM DE'SALAMANCA poteris, Secretarium Status, ac belli: qui jam apud nos in Arce est, & valetudinem curat, Vir Optimus, & nostri studiosissimus. Per hunc etiam meas ad te in posterum destinabo. Nunc Vale, & cultum meum Excellentissimo Marchioni offer: item D. LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO, Patrique DELLA FAILLE. Lovanii, in Arce, Prid. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTO-

EPISTOLA LII.

Bruxellam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato ſuo.

ET à Viro hoc religioſo, Amico meo, *PHAEDRVM* cape; ut videas *METRVM* illud *CATVLLIANVM*, ſanè bonum. Hic feſtinus erat. Nova igitur occaſio capienda, ut alia mittam. Sed obſecro, jamne *EPIGRAMMATA* mea *BELGICA* habes? *POMPAM PROSPHONETICAM*? *AVSPICIA BIBLIOTHECAE LOVANIENSIS*? Quatuor primas ſecundi *APPARATVS* Centurias? *ANNVM BISSEXTILEM* mutatum ſive auctum non triviali obſervatione? Sin minus, mox videbis. Illa à *PELOVSEO* ſubſcripta accepimus, & gratiam debemus. *VANLONIVS* noſter in *OPPIDO ASPRICOLLENSI* jam pingit, ſed ille propediem *LOVANIVM*

rediturus. Utinam, utinam brevi hîc te complectar! Hoc unicum votum meum est. Vale, Lovanii, in Arce, Eidibus Novemb. ∞. IↃC. XL. Religiosum hunc invenies familiaritate tuâ dignum esse.

EPISTOLA LIII.

Venlonam.

MAXIMILIANO PUTEANO,

Filio quarto genito.

MI fili, gaudeo quoties litteras tuas cerno: ita enim abesse non videris. Meas exigis? Amoris est: sed profectò vel impedimenta sunt, quando mittendi occasio est, vel cùm volo scribere, tabellarii desunt. Qui ultimas tuas tulit, ille, inquam, Venlonensis, in diem lunæ reditum suum *BRVXELLA* addixit: si non fallet, has meas feret, & simul quæ Mater præparavit. *LVDOVICVM* rediisse gaudeo. Ille verò res suas deinceps aget: nam videtur Monasterium cogitare, & quidem Carmelitarum Discalceatorum. Faxit Deus

Deus! Tu te sic gere, ut boni semper Militis officia impleas, quantùm à timiditate, tantùm etiam à temeritate absis. Non necessaria aut nihil profutura pericula declinanda sunt. A contubernio Ducis sui Amicum tuum segregatum esse, dolui. Si à *Tarrovtio* remedium esse poterit, suum ille affectum desiderari non sinet. Delineationem fossæ nuper accepi, quâ vehementer recreatus fui. Civitas ingens beneficium accipiet. Sed litteræ meæ, an Comiti gratæ fuerint, quomodò acceptus sis, non satis intellexi. Nos hîc omnes valemus. Hiems rigere cœpit. Nobiles nostri fortassis ex Arce in Urbem migraturi sunt. Hoc omnino ago, ut ad quietem veniam, meus sim, & parvo vivam. Mater idem quærit. Sed tu mi fili, cogita quàm me non unum onus gravet, non una cura torqueat. Bene tibi, bene fratribus, sororibusq; sit, & felix ero, licet divitias non possideam. Vos mihi divitiæ eritis, vos deliciæ, si ante omnia honestatem habituri estis. Fuge mi fili, quæ mala, quę vana, quæ turpia sunt; & cogita semper te Puteani filium esse. Ab ebrietate, & alea volo te alienissimum esse, quæ tamen communia vitia sunt, & tanquàm militaria habentur. De Mulieribus non dico, & tamen maximè debeo, ætatis pestes sunt, & animum simul corpusq;

 inficiunt.

inficiunt. Cave, tibi consule, ad decus etiam moribus assurge. Quid verò de nova militia scribis? Regia tibi deserenda nequaquam est, ad ordines majores mox venies, ac prestat per gradus ire. Hæc etiam mihi cura erit, ut honestè, sed tempestivè ascendas. Atque ego te muneri destinaueram, de quo nuper agebas; ut à Militia ad illud evaderes. Tu pro Avunculo intercedis. Volo illi & cupio honestè prospectum esse: sed non possum profectò omnia. Vale, prudenter age, & cum Armis Pietatem cole; lege quoque & interdum scribe. Lovanii, in Arce, Eidibus Novemb. ∞. IↃ C.XL.

EPISTOLA LIV.

AntVerpiam.

FAUSTO A SANCTA MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

EX intervallo ad te scribo; sed an omnes epistolæ perveniant, incertum est. Tuæ & mihi & Matri gratissimæ semper sunt, quas partim Latinè, partim Italicè hactenus soles exarare.

exarare. Video diligentiam tuam, & amo: pietatem autem ubique expressam, nescio quomodò satis amplectar. Hoc profectò est, non in terra, sed in Cælo versari; cum Deo enim agis. Perge versari, perge agere; & te dignum præsta eo cœtu, quem Cælum meritò appellem; nihil enim ille, nisi quod pulchrum est, & ad æterna excitat, continet; nihil nisi quod Magnificum & ad Deum ducit. Tanti corporis cùm membrum sis, existimare debes te felicem esse: hanc autem felicitatis conditionem ad me extendi. Sic vale, quemadmodùm nos hîc omnes valemus, & hanc ODEN vide quam publicè jam explico. Lovanii, in Arce. XVI. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LV.

AntVerpiam.

EIDEM.

CHristiana & omnino pia consolatio tua est, quâ me erigis: non frustra profectò missa, quia jam ferre mea mala possum, si tamen mala sunt. Sic Deo placuit, qui Summum Bonum est: sic nos bonos facit. Sorores tuæ, quæ ad unam scripsisti, legêrunt: gratiam pariter pro affectu dicunt, propediem

scripturæ. Deum rogamus, ut quia convalescere sororem tuam voluit, porrò eam conservet. Complectere meo nomine fratrem tuum; imò omnium nostrûm, rogo. Scis me, mi fili, toto animo tuum esse. Nunc librum hunc vide, qui in dolore publico scriptus est, in privato editus. Unum tibi exemplar habe, alterum R. P. Priori tuo trades. Vale, & illum omnesq; tuos etiam atque etiam à me saluta. Ad fratrem tuum cogita hæc quoque scribi. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Decemb. CIƆ. IƆC. XL.

EPISTOLA LVI.

Mechliniam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Judici Castrensi, postea Ser^mo Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero suo.

NEscio quid de invaletudine tua ad nos perlatum sit; adeoque ob hanc caussam dilatum itineris consilium. Quemadmodùm

te

te abesse doleo: ita ægrotare, vehementer doleo, ac bis infelix sum. Sed mitiora spero. Scribat quæso Eugenia nostra, quid sit. Manum enim jam tuam non sine piaculo occupem. Nihil autem mihi suavius accidere poterit, quam si confirmatam esse valetudinē intelligam. Ego satis jam propitiam Hygeiam experior: satis tamen remissus in studiis, quæ ad amœniores deinceps curas referenda sunt. Nunc valetudo tibi cordi sit: nunc, quod semper apprecari solemus, vale. Vale, inquam, ut ipse valeam. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LVII.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

Utramque epistolam tuam cum voluptate legi, plenam affectu & pietate. Tabellariorum culpa est, quò minùs tempestivè responderim, qui tardiùs munere suo funguntur. Mater igitur cum Carolina perendie

BRUXELLAM se conferet, ut sub finem hebdomadis hujus ad te veniat, meas simul vices suppletura. Si me amas, admittes excusationem. Non enim audeo hoc tempore valetudinẽ itineri committere. Cogita, mente & animo me adfore, imò jam adesse: ita enim maximè, & semper tibi adhæreo, tanquàm à corpore non pendeam. Sed matrem audies, quæ consilii mei & rationem & necessitatem exponet. Ad hospitium quod attinet, ne solicitus sis: hac de re, ac de ipso itinerè litteras BRUXELLA accipies. Hîc enim diei unius alteriùsve mora erit in ædibus JACOBI BUTSII, Amici nostri: cujus vicissim filiæ aliquando ad Arcem veniunt, & musicâ nos suâ recreant. Eleganter sanè & doctè canunt. Plura jam non scribo: sed Deum rogo ut te felicem faciat, & in multos annos servet. Vale Optime Carissimeque Fili, & ab omnibus salve. Lovanii, in Arce, x. Kal. Decemb. ∞.IↃC. XL.

EPIS-

EPISTOLA LVIII.

Bruxellam.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, postea Ser^mo Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero suo.

AUBERTUM ecce mitto, & simul litteras ad Excellentissimum nostrum Heroëm. Quid scripserim, vide; & si quid succinctius, benignâ facundiâ tuâ exprime, & explica. Animum meum nosti effusissimum esse. Frustra verò filium tibi commendo: nónne filio? Talem te præstas, & me familiamque meam beas. Prorsùs ante discessum complecti te cupio, quemadmodùm antea scripsi. Hoc quoq; Uxor mea rogat. Sed suavissima EUGENIA mea, magis jam tua, de itinere apud nos statuit: secutura fortassis meliùs in FLANDRIAM, quàm comitatura. Ad ipsam scribere volebam; sed angustiæ temporis non permittunt. Quid scriberem verò, nisi ut veniat? Nunc toto eam animo saluto. Vale, & me semper ama,

ama, à me, Uxore, ac familia salve. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LIX.

Antverpiam.

FAUSTO À S. MARIA, ET JUSTO CÆCILIO PUTEANIS.

UNâ epistolâ nónne binos alloqui jam liceat? Uni tamen inscripta erit, tuumq; R. P. FAUSTE, nomen leget tabellarius, ne distrahatur. JUSTUM igitur venisse vehementer gaudeo. Nescio autem quomodò tristior hoc tempore eram. Solicitum me URBANUS habuit, qui jam à variolis suis convalescit. Eodem illo morbo puerili soror tua quæ domi, correpta est, & adhuc decumbit. Periculum nullum est, sed aliquid adhuc molestiæ superest. Hoc agimus, ut ANDREAS, HESSELUS, AUBERTUS conserventur, qui soli, si semel laborasse satis est, timere hoc malum possunt. Pecuniam accepi de qua Mater vestra statuet. Quæ cum bono affectu scribenda erant, dicturi sumus, ubi JUSTUS advenerit.

advenerit. Ad vos verò propediem MAXIMILIANUS veniet, pecuniæ etiam caussâ, quam ex HOLLANDIA exspectat. Proximè plura, vos amo, saluto, complector, & sic jam nomina jungo FAUSTI & JUSTI. A Matre, Fratribus, sororibusque salvete. Lovanii, in Arce, v. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LX.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

MIhi verò epistola tua velut cœna fuit; sed pollucibilis, & lectis deliciis instructa. Rarò admodùm, mi *SLINGELANTI*, ejusmodi ad me cupediæ veniunt, ipsâ etiam acrimoniâ suâ suaves. Quæ publicè tristia ac timenda sunt, eleganter, breviterque comprehendis; & me certè excitas, ut in tempestate quasi imminente, circumspiciam. Sed non omnino adhuc infelices sumus, quid melioris

melioris fati GERMANIA, quemadmodùm spes est, explicabit. Aderit nimirum Deus è machina, & aliam rerum faciem inducet, etiam scenam. Interim nostrum erit ferre quæcumque evenient, & animum in tranquillo habere. Si adsis, plura dicam, auditurus quoque plura. Quando? Fac quæso, ut proximo aliquo justitio ad nos excurras, & Arcem occupes; quæ tranquillum, certè amicum hospitium dabit. Vacua jam est, & anni nobis amœnitatem aperit. Nemo certè nobis gratior venerit. VANLONIUM tuo nomine jam complexus sum, cupidissimum quoque tui. Nunc ab Uxore mea, Filiis, & Filiabus salve. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Maias, ∞. IↃC. XXI.

EPISTOLA LXI.

Mechliniam.

EIDEM.

CAMPANELLÆ librum retinui, ut securè remitteretur. Vides igitur IVSTVM iterum meum. Utinam ego te propediem, & otiosè complectar! Multa velim dicere, audire multa. Sed cùm venies, rectà ad

Arcem

Arcem & amœnitatem: quæ hîc jam summa est, & vel absentem alliciat. *MVTIVS* tuus, triplici testimonio plura Religionis arcana stabiliens, novam vestem accepit, non infima Bibliothecæ meæ pars, quia dignus erat, qui solus poneretur. Quas igitur gratias habebo? *PRÆLIVM* mitto *VORINGANVM*, à me quidem non scriptum, sed editum. Sed tanti erat. Auctorem cùm nosces, etiam amare atque æstimare velis. *DE CARDANO* aliàs: inspiciam enim quæ volumina habeam. Præcepta ejus ad liberos, quid si Typis excudantur, & in lucem veniant? Dispice, & tuum hîc nomen celebrari sine. Sine etiam brevem hanc epistolam litteris ad Excellentissimum *MARCHIONEM VIRGILIVM MALVEZZIVM* recenter scriptis extendi. Laudavi Virum, & meliori etiam Encomio dignus erat. *SEDANVM* nunc profectus, ut cum *PRINCIPIBVS* in novum adversùs *GALLIÆ* Purpuram fœdus coeuntibus agat. Ut hæc sunt, nónne Deus è machina? Sed nos in animo nostro tranquillitatem omnem & securitatem ponamus. Vale, & à *VANLONIO* simul salve. Lovanii, in Arce, Postrid. Eid. Junii. ∞.IↃC.XLI. *DISSERTATIVNCVLAM DE PHARMACOPOLIIS* scripseram ante biduum: à Prælo ad

te

melioris fati GERMANIA, quemadmodum spes est, explicabit. Aderit nimirum Deus è machina, & aliam rerum faciem inducet, etiam scenam. Interim nostrum erit ferre quæcumque evenient, & animum in tranquillo habere. Si adsis, plura dicam, auditurus quoque plura. Quando? Fac quæso, ut proximo aliquo justitio ad nos excurras, & Arcem occupes; quæ tranquillum, certè amicum hospitium dabit. Vacua jam est, & anni nobis amœnitatem aperit. Nemo certè nobis gratior venerit. VANLONIUM tuo nomine jam complexus sum, cupidissimum quoque tui. Nunc ab Uxore mea, Filiis, & Filiabus salve. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Maias, ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXI.

Mechliniam.

EIDEM.

CAMPANELLÆ librum retinui, ut securè remitteretur. Vides igitur IUSTUM iterum meum. Utinam ego te propediem, & otiosè complectar! Multa velim dicere, audire multa. Sed cùm venies, rectà ad Arcem

Arcem & amœnitatem: quæ hîc jam ſumma eſt, & vel abſentem alliciat. *MUTIUS* tuus, triplici teſtimonio plura Religionis arcana ſtabiliens, novam veſtem accepit, non infima Bibliothecæ meæ pars, quia dignus erat, qui ſolus poneretur. Quas igitur gratias habebo? *PRÆLIUM* mitto *VORINGANUM*, à me quidem non ſcriptum, ſed editum. Sed tanti erat. Auctorem cùm noſces, etiam amare atque æſtimare velis. *DE CARDANO* aliàs: inſpiciam enim quæ volumina habeam. Præcepta ejus ad liberos, quid ſi Typis excudantur, & in lucem veniant? Diſpice, & tuum hîc nomen celebrari ſine. Sine etiam brevem hanc epiſtolam litteris ad Excellentiſſimum *MARCHIONEM VIRGILIUM MALVEZZIUM* recenter ſcriptis extendi. Laudavi Virum, & meliori etiam Encomio dignus erat. *SEDANUM* nunc profectus, ut cum *PRINCIPIBUS* in novum adversùs *GALLIÆ* Purpuram fœdus coeuntibus agat. Ut hæc ſunt, nónne Deus è machina? Sed nos in animo noſtro tranquillitatem omnem & ſecuritatem ponamus. Vale, & à *VANLONIO* ſimul ſalve. Lovanii, in Arce, Poſtrid. Eid. Junii. ꝏ. IↃC. XLI. *DISSERTATIUNCULAM DE PHARMACOPOLIIS* ſcripſeram ante biduum: à Prælo ad

te

te veniet. Iterum vale, iterum salve.

EPISTOLA LXII.

Mechliniam.

EIDEM.

TU me ad Encœnia? Delicias facis. Sed ne videar humanitatem tuam spernere, MAXIMILIANVM mitto, ut te simul adducat. Hîc igitur læti erimus, & ut Encœnia desint, faciemus. GRÆCI hebdomadibus Lunæ convivari solent, hunc morem licebit sequi. Hilares autem ipsis sermonibus erimus (quæ suavissimæ epulæ sunt) cibos potumq; promulsidis loco habituri; bellariorum, litteras, studia, libros. Inter cœnam loqui posse, sed liberè, sed amicè, sed genialiter, optima cœna est: amœnissimum hospitium, candore & familiaritate commendatum. Satis tibi hæc Arx erit, breviter tua. Tuus enim ego sum. Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Jul. ∞. IↃC. XXI.

EPISTO-

EPISTOLA LXIII.

Mechliniam.

EIDEM.

TUæ mihi ſemper melleæ: ac nuper ſermo, quem reguſtare velim. Ubi? Quando? Ita me Deus, niſi brevi huc venias, excurram ipſe ad te. Non enim jam dicam, ad Optimum illum noſtrum, variiſque laudandum titulis *HVYNIVM*: qui præeſſe, ut ſcribis, Cœtui ſuo deſiit. Ergo ſuus eſt, ut meus ſic magis eſſe poſſit, in majori otio, & tranquilla animi libertate. Diſtuli hactenus ad eum ſcribere, cùm valde tamen vellem. Sed occaſio deërat fideliam ſimul remittendi. Plena venit, an inanis redeat? Piaculum ſit. Hæc me res ſolicitum habet. Et magis jam publicus rerum ſtatus. *ARIA GALLIS, GENNAPIVM AVRIACO* ceſſit. *VENLONÆ* igitur & *RVREMVNDAE* timere incipio, hæc noſtra fortuna eſt: *FLANDRIAE* verò; hæc omnium. An Deus meliora? Quid ſi ad conflictum res veniat? Militiæ noſtræ Præfecti viderint. Sed in occaſione audendum eſt. *RVDOLFI I. IM-*

PERATORIS Elogium extendi, breviter antea comprehensum. Exemplar curabo scribi ut ad te mittam, & Censuræ tuæ submittam. Hâc sanè uti familiaritate audebo, & te, ut Virum Amicum, ita severum studiorum meorum Censorem habere. Si ullum verò opus, hoc ELOGIORVM HEROICORVM quod paro, emendatissimè prodire cupio. Vale, & me ama. De libris tuis sic statue, ut pauculi mei sint: tu invicem THEATRVM illud VITÆ HVMANAE habeas, quod jam tuum est. Sex Tomi sunt: pauciores reddi poterunt. Iterum vale. Lovanii, in Arce, postrid. Kal. Aug. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXIV.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO.

Optimo Patri INNOCENTIO tradere ad te litteras destinaveram: Sed cùm maximè vellem scribere, impeditus fui. Nunc non sinam profectò novam hanc mihi occasionem elabi: nam & hic R. P. vester est, eo etiam

etiam nomine meus, quia *POLONUS*. De valetudine mea nescio quid possim statuere. Hic nunc dies tolerabilis est, hesternus infestissimus fuit. Ad Pharmacum veniendum esse, Medicus judicavit. Ergo hodie incipiam corpus præparare. Dolores capitis continui ferè per hos dies fuêre, & hinc dentium. Caussa à frigore fuit, & à vento qui frigus adspiravit. Ut verò valetudo mea fuit, ita negotia jacuêre. Proximâ tamen, ut spero, hebdomade *IDEAM* pro bono Patre illo missurus sum. Leget quæ pridem de vita & morte Serenissimæ Principis, & in Cęlum receptæ, scripsi, ut in exemplum essent. Nam profectò paucæ tales mulieres fuêre; imò pauci viri. In fasciculo tuo bina Imaginis meæ exemplaria erant, sed nulla eorum mentio. Si ad me mittis, gratiam habeo: si in alium finem, indica. Semina illa Veneta, grata quoque & accepta Matri Sororibusque fuerunt. Vale, me ama, & à Matre, Fratribus, Sororibus salve. Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Octob. ∞. IↃC. XLI.

Hæc adjuncta epistola ad fratrem est: Lege, ac trade: tuam vicissim ostende. Ita enim binę si una fiant, copiosiùs scripsisse videar. A. R. P. Priori, P. *INNOCENTIO*, cæterisque me & familiam meam commendo.

EPISTOLA LXV

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

FAsciculum tuum tempestivè accepi, Carmen admiratus sum, litteras Rectori nostro Magnifico tradi curavi: quocum de Oratione uberiùs etiam acturus sum. Decorum erit, si è sacro & primo Academiæ Ordine Orator sumatur. Argumentum verò abundè à te subministratum: Quidni & exemplum, si *LESSUM* tuum pulcherrimum ostendere liceat? Licebit saltem, uni Rectori, quia egregio publicè Viro, & privatim meo amico. Clarissimus Dominus *LOTENS* est J. C. Vir sanè ingenio, judicio, doctrinâ, & eloquio instructissimus. Apelles noster tui amantissimus est, in procinctu ut larem mutet. Hospes enim illius, Virginumque Sacratarum Director

ctor ante dies pauculos calculo extinctus est. Familiæ igitur ratio mutanda erit. Alii hîc Viri boni, migraturo domum suam obtulére, & ego pro affectu meo, meam. Quàm avidè illam inter Crania meditantem *MAGDALENAM* expetas, candidè aperui. Sed videbatur suo hanc sepulchro destinâsse. Quid dicam? Præsentiâ tuâ opus erit. Minorem aliquam tabulam, & amœnitate ruris ridentem, faciliùs auferas. Fideliam ipse fortassis Pater *FAVSTVS* feret, simul daturus *RELATIONEM VITAE AC VIRTVTVM VENERABILIS MATRIS CHRISTINAE* Sororis meæ, è *POLONIA* missam, hîc verò excusam. Quantùm potes, ad nos excurre. *THEATRVM VITAE HVMANÆ* tibi paratum est. Vale, & meo nomine Optimum Patrem *HVYNIVM* complectere. In *THEATRO* meo *HEROICO*, sive *ELOGIIS HISTORICIS* pergo, sed lentè. *RVDOLFVS IMPERATOR GENTIS AVSTRIACAE AVCTOR*, in specimen Operis Typis adornatus est: quem hîc accipies. Lovanii, in Arce, Postrid. Non. octob. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXVI.

Antverpiam,

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO

Ordinis Excalceatorum.

EXemplaria CENTURIAE QUARTAE acceperam: sed bina illa elegantiora hactenus exspectavi. Allata etiam Volumina, LEGATIONIS ECCLESIAE TRIUMPHANTIS AD MILITANTEM, terna compacta, bina non compacta; quæ in Museo n[illegible] conservantur; & adventum tuum exspectant. Atque ego BRUXELLAM interim cum Matre profectus sum, ut Excellentissimo ANDREAE CANTELMO & Genero meo BONVICINIO, reditum è Castris gratularemur. Hæsimus isthîc decem quasi dies, teque simul præstolati sumus. Angi igitur cœpimus, quia non venires, nec litteras ullas mitteres. Affectus nónne in sinistras semper suspiciones pronus est? Veni, veni, ut hasce exuamus, coram de rebus

bus omnibus collocuturi. Ab HESSELO litteras accepi, & simul à RAMIREZIO. Omnia bene. Me tussicula jam per dies aliquot infestat, quæ morâ potiùs, quàm pharmaco vincenda erit. Mater, Frater, Sorores valent, teque omnes salutant, & expectant. Quid agam ac moliar, coràm videbis. Vale, & A. R. P. Priori, omnibus tuis salutem à me precare, Lovanii, in Arce, Eidibus Novemb. ∞. IↃC. XLI. Iterum vale, & veni. Hoc rogo.

EPISTOLA LXVII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

MItto ad Patrem HVYNIVM litteras, neque tamen litteras adhuc nomino: breviores enim sunt. Satis si tacere apud tam bonum, & mei amantem non videor. Summa scriptionis, ut ad nos excurrere circa Eidus

hujus mensis velit. Te rogo, ut unà venias. Nunc vale, & feliciter proficiscere. Lovanii, in Arce, Prid. Non. Decemb. CIↃ. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXVIII.

Mechliniam.

EIDEM.

Tui memor, cùm ultimò ad HEROEM nostrum CANTELMUM scriberem, hisce verbis usus sum: est SLINGELANTIUS TERTIUM VELUT CORCULUM MEUM, SINE QUO NOLLES PROPEMODUM PUTEANUM AMARE. IS MAGNO SENATUI MECHLINIENSI à SECRETIS EST, ET COMMODA OCCASIONE BRUXELLAM VENIET, UT VIRTUTES TUAS CORAM VENERETUR. Egeram de TYLBERTUCIO meo, & EUBISA: in quibus sic vivo, ut unam videamur animam facere. Sed si CANTELMUM adeas, satis erit, nomen profiteri: ille quoque in te EUPANTUM excipiet. Poteris autem liberè. Sed mollia adeundi ac FANDI tempora captanda sunt, cùm continuis ferè HEROS ille noster

ster negotiis distrahatur. Optimo Patri Hoynio nonne litteræ meæ datæ? Fac quæso ad nos stato tempore excurrat: gratior venturus, si te unà duxerit. Vale. Lovanii, in Arce, Eidibus Decemb. ∞. IↃC. XLI. Hoc momento litteras tuas ad Vanloneum nostrum accipio, quas de meridie ipse tradam.

EPISTOLA LXIX.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

Nobilis hic Polonus inter Amicos nostros est, amari dignus ob insignes ingenii dotes & elegantias, quibus quàm peritè, tam modestè utitur. Etiam musicâ, præsertim Organicâ. Panduram enim summâ dexteritate tractat. Illam, inquam, quam nos *VIOLAM* appellamus. Quemadmodum sororem tuam docere feliciter cœpit: ita nunc paratus est, operam quoque suam impendere, ut aptum instrumentum habeamus. Ut tu igitur adesse

illi velis, rogo: imò ut benignus esse, tam in nos benigno. Munus *ECCLESIASTES DILUCIDATI* accepi, gratum, etsi antea Bibliothecæ meæ pars fuerit. Hunc sanè librum plurimi facio ob Doctrinam, Suadam, Elegantiam. Verè *SPECULUM* potuit appellari: in quo videre videor omnia. Unicum jam meum desiderium est, ut sermonem tecum de rebus multis conferam: sed Lovanii, sed brevi. Itaque cum A. R. Patre Provinciali hîc egi: ut mox tibi excurrere liceat, quod addixit. Plura igitur jam non scribo. Nunc vale, & à Matre, Fratribus, Sororibus salve. Lovanii, in Arce. Prid. Non. Aprl. ∞. IↃC. XLII.

EPISTOLA LXX.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

BEâsti me litteris tuis, & egregiè stipatis, cùm & nova læta, & Catalogum tot librorum

brorum à nova induſtria, ævi noſtri videam. Sed GALILÆUM ad plures abiiſſe! Dignus tanto Viro Magnus ille Princeps, qui in mortuum benignus eſt. Dignus, qui & plures BONAROTAS atque GALILÆOS habeat. De Bello noſtro an addo? LENSIUM paucis diebus occupatum eſſe, obſideri nunc BASSEAM intelligimus: ATREBATUM ſtratagemate tentatum, ſed fruſtrà. Meliora vis dabit. Quid de BATAVIS? Videntur & hi motibus BRITANNICIS diſtrahi, Reginâ petente auxilia ab AURIACO. De Paludibus Pomptivis libenter intellexi. HOLSTENIUM autem occupari? Gaudeo, & Viri & rei cauſsâ. Ad WENDELINUM noſtrum ſcribam: & nos hîc circa Lunę labores totâ ferè nocte hæſiſſe, IUSTUS meus dicet: à quo Elogium ALBERTI accipies. Reliqua igitur mox ſequentur. Sed tu lepidè de Catella. Hoc agamus, ut & mordere, & ſimul latrare deſinat: quemadmodùm loquens epiſtola indicabit. Vale, & vide ut nos viſas. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXI.

Mechliniam.

EIDEM.

OMnis nobis lapis movendus, ut ad hoc à Secretis munus TUSIUS meus adscendat. Illæ igitur hesternæ Regiæque Litteræ Concilio offerendæ, quas Pater FAUSTUS BRUXELLAE Amicorum favore impetravit. Hunc uti Amplissimo ROELANTIO traditum esse fasciculum velis, per Amicitiam nostram rogo. Multùm enim spei, imò subsidii, in hoc Viro pono; quia Amico, quia Cordato, quia Erudito, quia in Eruditos prono. Jam si quid tua industriâ ac suadâ in vota nostra contuleris, summo loco erit; & PUTEANUM tibi nomen penitus obstringet. Neque plura addo. De studiis meis malo per otium. Vale, & cogita me tuum esse; præsentem sæpiùs fore, si filius voti compos evadat. Quâ fiduciâ agam, vide: ipsum Excellentissimum RUMASSAM & qui post illum rebus præsunt, propitios ac faventes habeo. Iterum vale. Lovanii, in Arce, XVI. Kal Aug. CIↃ. IↃC. XLII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXII.

Brugas.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, postea Ser^mo Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero suo.

REdditæ mihi litteræ tuæ sanè quàm suavissimæ, &,ut plenum pretium indicem, summâ doctrinâ & elegantiâ scriptæ. Sed cùm quotidie animus esset responsum dare, ipsa inter impedimenta moram fecit, & in plures etiam dies protraxit. Præcipua mea de filio Justo cura est, jam provecto, jam exercitato, jam munere quod petit, digno. In matrimonio est, oneri autem mihi futuro, nisi ad publicam istam à Secretis occupationem ascendat. Opes illi dare non possum: sed Amicorum favorem apud Excellentissimum Gubernatorem promittere. Hæc spes mea est, hæc fiducia mea. Bene autem occupatum sic

ſic munus iſtud iri affirmare audeo, fretus optimâ indole filii, promptitudine, induſtriâ, eruditione. Sic exercuit ſtilum, ut vices ſępè meas ſcribendo ſuppleat: ſic & in negotiis verſatus, ut agendo Reipublicæ par ſit. In valetudinem meam inquiris? Illam certè pro ætate fero magis quàm accuſo. Benignè mecum natura agit, & hanc ei gratiam refero, ne queri videar. Sed tu quoque vale mi POSSIDONI, qui me totum poſſides, & uberiores meas proximè exſpecta. Iterum vale, ac cum Optima Eugenia noſtra ab omnibus ſalve. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Aug. ∞. IↃC. XLII.

EPISTOLA LXXIII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V. N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato ſuo.

LItteras ad Illuſtriſſimum Præſidem (Præſidibus hic titulus debetur Regiis, & alibi

bi datur) has jam ſcripſi: ut tradas rogo, & me penitus, atque ſtudia mea ſimul patrocinio ejus mancipes. Licebit ſanè hunc Virum colere, & propitium habere. Sed ſi filius voti compos fiat, familiarior ipſi eſſe incipiam; ſæpiùs vobis adeſſe, prorſus tanquàm & lare veſter ſim, qui jam tamen vicinus. Ut ſcias verò quantum in humanitate & benevolentia RUMASSAE ponam, Exemplar litterarum, quas recenter ad me miſit, adjungo. De RORARIO quæris? Duos GESNERUS ponit, HIERONYMUM & NICOLAUM. Et HIERONYMI quidem Oratio exſtat, *PRO MURIBUS ADVERSUS* NICOLAI BOSTY *EDICTUM, AUGUSTÆ PHETICÆ*, 1548. NICOLAI *VERO QUI MEDICUS FUIT UTINENSIS CONTRADICTIONES, DUBIA, ET PARADOXA IN LIBROS* HIPPOCRATIS, CELSI, GALENI, ÆTII, ÆGINETÆ, AVICENNÆ, *CUM EORUMDEM CONCILIATIONIBUS*, Venetiis, 1566. Die SATURNI Titulos Librorum GILBERTI Cognati omnes mittam. Vale, & à VANLONIO noſtro ſimul ſalve. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Auguſt. ∞. I ↄC. XLII

EPIS-

EPISTOLA LXXIV.

Mechliniam.

EIDEM.

EPistola mea an jam Præſidi data? Candido affectu ſcripſeram, & ut me seriò inſinuarem. Spero etiam cultum meum, è ſilentio quaſi prodeuntem, gravem minimè fore. Utinam igitur benigna TUSIUS meus ſuffragia obtineat! In munere iſto eſſe, ſatis nunc quidem erit: aliquid fortaſſis aliunde accedet. Sed tibi novum iſtud incrementum favor Ærarii Sanctioris dabit. Ita voveo. Cognati ingenium in pagina adhærente videbis, & amabis. Varium eſt, ſerium, & ſimul amœnum: meum certè, cum opuſcula iſta lego, excitari fateor. Aliquid nunc etiam concedat Deus otii, & materiam Typographis relinquam. Iste mihi ſervet, & meis poſt me *SCRIPTIS*, ſed ſi curam tuam merebuntur. Optimum eximiumque P. *HUYNIUM* nomine meo complectere: ad quem nova *ELOGIA* mox miſſurus ſum. Vale, & me amare perge, meumque *VANLONIUM* qui ſalutem à ſe, & gratiam pro oſculo lacrymanti

MAG-

MAGDALENÆ misso ab imagine dicit. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Aug. ∞. IↃC. XLII. Amplissimis Senatoribus officiorum delatione placere velim; ut obstringere me sibi velint; suumque esse, per filii fortunam rogo. Ad singulos audebo mox *ELOGIA* mea mittere, quæ à prælo exspecto. His deliciis capi Amplissimum *ROELANTIUM* scio: qui sic seorsim etiam salveat.

EPISTOLA LXXV.

Mechliniam.

EIDEM.

AMo curam tuam, cui jam debeo: & ipse simul *TUSIUS* meus obstrictus est. A Tabellario ipso tuos nummos accipies: à nobis insuper gratiam, ubi opera nostra usui futura. Ad Optimum P. *HUYNIUM* litteras hîc habes. Trade obsecro, & indica me doloribus ejus simul cruciari. Si ad me de statu valetudinis mox scripseris, maximum beneficium putabo. Quid velim verò, & orem, obsecremque? Ut ad nos, sed hospes noster excurras. *MAGDALENÆ* lacrymanti osculum datum est, ridente nostro *VANLONIO*. Is Amicè

te salvere jubet. PORPHYRIUM ex occasione mittam. Atque ego hîc eum dare in munus tibi velim. Vale, Lovanii, in Arce, Postrid. Non. Aug. ∞. IↃC. XLII.

EPISTOLA LXXVI.

Brugas.

LAZARO BONVICINIO POSSIDONIO,

Iudici Castrensi, posteà Ser^mi Duci Mutinensi à Consiliis & Secretis, Genero suo.

FAvere mihi in Tusio meo, Excellentissimus Marchio de TORDELAGUNA dignatus est; & Munus à Secretis in Magno Senatu Mechliniensi, quod petieramus benignissimè contulit. Benevolentiam hîc quoque Illustrissimi Præsidis experti sumus, qui & studia mea, & familiam suis gravatam oneribus respexit. Utrique igitur obstringimur, & gratiam debemus, quam nunquam satis verbis dicemus, nunquam satis animo concipiemus.

mus. *ELOGIA IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM, SED* AUSTRIACORUM ſcribere aggreſſus ſum, *VIRORUM* item *MAGNORUM*, qui ſub AUSTRIACIS floruêre. Totum opus, *THEATRUM* inſcribitur *HEROICUM* ; cujus ut ſpeciem exhibeam, *ORCHESTRAM* iſtam (pars hæc olim *THEATRI* erat) *DUCUM* BURGUNDIÆ mitto. Hoc ipſum, ubi inſtructum erit, novum videbitur : nam præter alia ornamenta, ab Imaginibus ſplendorem capiet; quas accuratas conabimur dare. Abſovi PHILIPPOS quoque HISPANIAE REGES ac jam CAESARES promoveo, ad FERDINANDUM III. producendos; quos & propediem tibi mittam. Intereà vale mi BONVICINI, & felicem, fauſtum, fortunatumque, uti precamur omnes, cum cariſſima EUGENIA tua novum hunc Annum pluresque alios habe. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Febr. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXVII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V. N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

O Suaves litteræ tuæ! Sed iter meum non suave. Currum Auriga socors in limam dejecit, non sine gravi periculo majoris mali. Non læsus, sed totus madidus, ac lutulentus surrexi: lætus hâc fortunâ, quia pessima non erat. Quid agas? Hæc humana sunt, & æquo ferenda animo: sicuti & illa, quæ ab hominibus non humanis. Mireris si narrem omnia: narrabo tamen, ubi *Mechliniam* rediero. RATISTUS quid si TARISTUS? Mollior pronunciatio sit. LATILAUS placet: qui HUSIO, HIUSO factus est. Nescio tamen, an tempestivè hæc nomina, ut & alia nonnulla, BRUXELLAM transmiserim. De THEMISTO-

CLIS

CLIS Epistolis, coràm quoque. Certè seriæ ac robustæ sunt, & THEMISTOCLE dignæ. Quomodò liber in lapsu meo servatus fuerit, ad TUSIUM scripsi: nam cùm everteretur currus ac decideret, magis in lectione, quàm in curru eram. Quidquid sit, salvus est THEMISTOCLES. De NOVILANI animo nefas sit dubitare. Sed faciliùs picturam, quàm pictorem transferam. Mi NELSIGANILTE, etiam atque etiam salve, & me amare perge. TUSIUS meus jam domum redierit. Cùm ad me venturus esset ad P. FRANCONEM divertit. Ut Optimum meum P. HUYNIUM salutes rogo: quem brevi rursus complectar. Iterum salve: & simul hospes tuus & hospita. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Majas. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXVIII.

Mechliniam.

EIDEM.

QUotidie scripturiebam, & ecce secundas tuas mihi AUBERTUS meus tradidit. Bene igitur, MENTALCO Corculum illud ex

Alce, annulumq; datũ esse gaudeo: & quid nisi Virtutum Corculo? LATILAI verò nomen, aliorumque tempestivè TIMMAROMUS (ita dici maluit) accepit. Ipsum opusculum jam absolutum; nisi quòd WENDELINI nostri Anagrammatismos Astronomicos adjuncturus sum, qui versibus constant Hexametris, bis quaternis. Quatuor enim quasi ad simplicem sensum compositi sunt: quatuor ex his alii, è singulis singuli, nova, mira, magna, stupenda Dogmata continent. Habebunt Mathematici & Physici omnes, quod contemplentur, & examinent. TUSIUM non rediisse ægrè fero. In FLANDRIAM cum famulo ad Affines profectus erat, & Uxoris caussâ; mox igitur adfuturus. Sic certè te complecti velim. Quid si verò ad nos tu excurras? Ut mœstam MAGDALIM tuam videas, & tecum hinc deinde devehas? Aliquid verò pretii impendendum erit, quemadmodùm notare animum atque verba NOVILANI potui. Cupit tamen Amico favere. Quid prætereà dicam? Exemplar hîc DIATRIBÆ habes, alterumq; Optimo Patri HUYNIO dandum. Prima sunt, ut vos primos Amicorum habeo. Adjunctam quoque videbis Eximii D. FROMONDI Orationem. De Epistolis THEMISTOCLIS nondum agere potui: agam mox tamen, ut

saltem

ſaltem latinas habeamus. Vale, & me amare perge, Lovanii, in Arce, Kalendis Maii ꝏ. IↃ C. XLIII.

EPISTOLA LXXIX.

Mechliniam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis.

LItteras à D. PANDTIO accepi cum tuis: ſed & manum ſcribentis, & animum amantis quidni venerer? Illa facundiæ plena, hic ſapientiæ, meam & meum trahit,& jam, me totum ſibi vindicat. Strictiorem etiam, ſanctioremque molitur nexum; ut qui Amicus eſt, tanquàm filius fiat: qui bonus eſt, me felicem faciat. Scis enim mi fili, *in bono Genero acquiri Filiũ, in malo, amitti & Filiam.* Sed ejus etiam affectus bonus eſt, in filiam meam meâ cauſsâ; in me filiæ. Ut candidè di-

cam, aliquid illa paterni ſpirat, indolemque ſuam ad generoſum illud honeſtum erigit, corporis animique dotes (à Deo ſunt) innatâ modeſtiâ commendans. Quantùm verecundiæ, tantùm hilaritatis habet: maturè expendens tamen, ne præmaturè ad Nuptias tranſeat, parata morem parenti gerere. Viciſſim à me impetrat, ut libertate ſuâ fruatur. Cùm verò & à Matre pendeat, minùs ego audeo juris uſurpare. Interim te filium; illum velut Generum amo, ejuſque amicitiam, velut Affinitatem æſtimo: imò, ut iſthuc redeam, & manum ſcribentis, & animum amantis veneror. Vale, omneſque tuos à nobis omnibus ſaluta, & has meas Domino PANDTIO trade. Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Junii. ∞. ϽC. XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXX.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

NOn excusabo silentium, in ipso jam otio occupatus. Militarem strepitum Arx Palladis admisit, ipsumque adeò Martem nostrum Cantelmum, pro salute Provinciæ totius excubantem. Summum ille imperium adversùs Batavos habet: quid si vires? In uno sic tamen situm est, ut salvi, imò securi simus. Gallos autem satis Tagraduleon reprimet: quem etiam adversa fortuna pugnæ Magnum ostendit. Fuit hîc etiam Sfondratus, aliique Duces; fuit Heroïna illa Phaltzburgica; est Velada, mox verò hinc *Namurcum*, ut in Italiam abeat, profecturus. Hàc igitur occasione perquàm bella, iter Insubri-

DELINVS ENNV DELIVS deinceps erit. De his aliisque *EVPANTVSIVS* meus: cui *MARTYREMATA* exscribenda dedi, mox in lucem protrudenda. *NOVILANVS* noster novam jam parat tabulam singulari arte & diligentia: hanc ubi absolverit, *MAGDALIM* tuam perfectissimam dabit. De Cælo, Sole, stellis nihil jam dico: omnia magis exploranda sunt. Nihil de publicis, quæ nutant. Deus meliora! Vale & me ama. De *THEMISTOCLE*, ubi veneris, omnino statuemus. Delicium Viri Patrem *HVYNIVM* totus totum complector. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Julii. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXII.

Mutinam,

HESSELO PHILIPPO PUTEANO.

Litteris *RINALDI HAFTII* intellexi salvum te sanumque *Mediolanum* pervenisse. Gavisi igitur omnes vehementer fuimus.

fuimus. Imò inde *Mutinam* versùs bonâ occasione profectum. Totum quomodò iter successerit, intelligere avidè cupimus. Scribes igitur nisi jam scripseris, & frequentes deinceps litteras mittes: ut hâc ratione absentiam tuam leviùs feramus; imò abesse non videaris. *HISPANIAM* vidisti: nunc de *ITALIA* judicabis. Sic age verò omnia, ut *HONESTE VIVERE*, *OPTIMUM* putes, quemadmodùm Symbolo usurpamus: ut vana, lubrica, reprehendenda fugias castus & cautus. In D. *LAZARO* patrem habes: hunc audi, hunc sequere, & cole, & me semper tibi adesse cogita, à quo sic amaris ut abesse non videar. Sed novi indolem tuam optimam: Deusque aderit, te diriget in omnibus & servabit, imò felicem faciet. Hoc votum meum est, Matris, Fratrum, Sororum. Nunc salutem à me, à Matre, ab *VRBANO*, *ANNA-CHRISTINA*, *CAROLINA*, *MARGARETA* cape. Aliàs plura. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Septemb. ∞. I Ɔ C. XLIII.

EPISTO-

cum HESSELUS meus suscipit, jam in pr
cinctu, ut discedat. Servet Deus euntem, & f
liciter deinde ad nos reducat! Hæc narro,
curas meas videas, ac jam facilè calami offi
cium impediri. Interim GASSENDI judiciu
super novis stellis legi, & ipsi incomparab
REITAE, præsente CANTELMO trad
di. Hic Heros tantum Virum videre volui
& admiratus est, cùm & tuum nomen in se
monem imò & elegantia veniret. Nunc si n
amas hoc age ut alia judicii GASSENDIAN
Exemplaria habeamus. REITA verò re
sponsurus mox erit, novæ & stupendissim
doctrinę Auctor. Observavit enim, admirab
li solertiâ solem in *APOGÆO* proximiore
terræ esse, in *PERIGÆO* remotioren
Observavit? Imò demonstravit. Quid jai
omnes dicturi? NAUDÆUM (quem suspic
o) à me salutabis. NOVILANUM accedan
salve, etiam à JUSTO meo. Lovanii, in Arc
v. Eid. Jun. CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTC

EPISTOLA LXXXI.

Mechliniam.

EIDEM.

MUltæ & ferè continuæ me cogunt curæ, & à scribendi officio abstrahunt. Ecce ad humanissimas tuas, nec unas hactenus non respondi: ad pœnam paratus sum, sed si ab uno tamen silentio eam removeas. Modò scribas, solatium in supplicio inveniam. Tria illa de stellis REITÆ exemplaria jam distributa sunt: primum ipse accepit REITA, alterum CARAMVEL, tertium VENDELINVS noster, qui ante dies aliquot hîc fuit, ac subitò *Bruxellam* abiit. Videtur jam seriò de lectione Mathematica & simul Græca, quarum altera vacua est, altera otiosa, cogitare. Res pendebit à Præside ASSORE & magis ab ipso, qui petit. An tui memor sit? Circa nomen tuum occupatus fuit, novumque Anagrammatismum constituit, quem scio soni caussâ, & significationis, amabis. NELSIGANILTVS eras, nunc ANGELLISTINVS esse potes à verbo ἀγγέλλω Ipse VENDELINVS

cum HESSELUS meus suscipit, jam in pro cinctu, ut discedat. Servet Deus euntem, & fe liciter deinde ad nos reducat! Hæc narro, u curas meas videas, ac jam facilè calami offi cium impediri. Interim GASSENDI judicium super novis stellis legi, & ipsi incomparabi REITAE, præsente CANTELMO trad di. Hic Heros tantum Virum videre volui & admiratus est, cùm & tuum nomen in ser monem imò & elegantia veniret. Nunc si m amas hoc age ut alia judicii GASSENDIAN Exemplaria habeamus. REITA verò res ponsurus mox erit, novæ & stupendissim doctrinę Auctor. Observavit enim, admirabi li solertiâ solem in *APOGÆO* proximiorem terræ esse, in *PERIGÆO* remotiorem Observavit? Imò demonstravit. Quid jam omnes dicturi? NAUDÆUM (quem suspici o) à me salutabis. NOVILANUM accedam salve, etiam à JUSTO meo. Lovanii, in Arce v. Eid. Jun. CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTO

EPISTOLA LXXXI.

Mechliniam.

EIDEM.

MUltæ & ferè continuæ me cogunt curæ, & à scribendi officio abstrahunt. Ecce ad humanissimas tuas, nec unas hactenus non respondi: ad pœnam paratus sum, sed si ab uno tamen silentio eam removeas. Modò scribas, solatium in supplicio inveniam. Tria illa de stellis REITÆ exemplaria jam distributa sunt: primum ipse accepit REITA, alterum CARAMVEL, tertium VENDELINVS noster, qui ante dies aliquot hîc fuit, ac subitò *Bruxellam* abiit. Videtur jam seriò de lectione Mathematica & simul Græca, quarum altera vacua est, altera otiosa, cogitare. Res pendebit à Præside ASSORE & magis ab ipso, qui petit. An tui memor sit? Circa nomen tuum occupatus fuit, novumque Anagrammatismum constituit, quem scio soni caussâ, & significationis, amabis. *NELSIGANILTVS* eras, nunc *ANGELLISTINVS* esse potes à verbo ἀγγέλλω Ipse VENDELINVS

cum HESSELUS meus suscipit, jam in pr
cinctu, ut discedat. Servet Deus euntem, & f
liciter deinde ad nos reducat! Hæc narro,
curas meas videas, ac jam facilè calami ofi
cium impediri. Interim GASSENDI judiciu
super novis stellis legi, & ipsi incomparab
REITAE, præsente CANTELMO trad
di. Hic Heros tantum Virum videre volui
& admiratus est, cùm & tuum nomen in se
monem imò & elegantia veniret. Nunc si n
amas hoc age ut alia judicii GASSENDIAN
Exemplaria habeamus. REITA verò re
sponsurus mox erit, novæ & stupendissim
doctrinę Auctor. Observavit enim, admirab
li solertiâ solem in *APOGÆO* proximiore
terræ esse, in *PERIGÆO* remotioren
Observavit? Imò demonstravit. Quid jai
omnes dicturi? NAUDÆUM (quem suspic
o) à me salutabis. NOVILANUM accedan
salve, etiam à JUSTO meo. Lovanii, in Arc
V. Eid. Jun. CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTO

EPISTOLA LXXXI.

Mechliniam.

EIDEM.

MUltæ & ferè continuæ me cogunt curæ, & à scribendi officio abstrahunt. Ecce ad humanissimas tuas, nec unas hactenus non respondi: ad pœnam paratus sum, sed si ab uno tamen silentio eam removeas. Modò scribas, solatium in supplicio inveniam. Tria illa de stellis REITÆ exemplaria jam distributa sunt: primum ipse accepit REITA, alterum CARAMVEL, tertium VENDELINVS noster, qui ante dies aliquot hîc fuit, ac subitò *Bruxellam* abiit. Videtur jam seriò de lectione Mathematica & simul Græca, quarum altera vacua est, altera otiosa, cogitare. Res pendebit à Præside ASSORE & magis ab ipso, qui petit. An tui memor sit? Circa nomen tuum occupatus fuit, novumque Anagrammatismum constituit, quem scio soni caussâ, & significationis, amabis. NELSIGANILTVS eras, nunc ANGELLISTINVS esse potes à verbo ἀγγέλλω Ipse VENDELINVS

cum HESSELUS meus suscipit, jam in pr
cinctu, ut discedat. Servet Deus euntem, & f
liciter deinde ad nos reducat! Hæc narro,
curas meas videas, ac jam facilè calami offi
cium impediri. Interim GASSENDI judiciu
super novis stellis legi, & ipsi incomparab
REITAE, præsente CANTELMO trad
di. Hic Heros tantum Virum videre volu
& admiratus est, cùm & tuum nomen in se
monem imò & elegantia veniret. Nunc si n
amas hoc age ut alia judicii GASSENDIAN
Exemplaria habeamus. REITA verò re
sponsurus mox erit, novæ & stupendissim
doctrinę Auctor. Observavit enim, admirab
li solertiâ solem in APOGÆO proximiore
terræ esse, in PERIGÆO remotioren
Observavit? Imò demonstravit. Quid ja
omnes dicturi? NAUDÆUM (quem suspic
o) à me salutabis. NOVILANUM accedan
salve, etiam à JUSTO meo. Lovanii, in Arc
V. Eid. Jun. CIↃ. IↃC. XLIII.

EPISTO

EPISTOLA LXXXI.

Mechliniam.

EIDEM.

Multæ & ferè continuæ me cogunt curæ, & à scribendi officio abstrahunt. Ecce ad humanissimas tuas, nec unas hactenus non respondi: ad pœnam paratus sum, sed si ab uno tamen silentio eam removeas. Modò scribas, solatium in supplicio inveniam. Tria illa de stellis REITÆ exemplaria jam distributa sunt: primum ipse accepit REITA, alterum CARAMVEL, tertium VENDELINVS noster, qui ante dies aliquot hîc fuit, ac subitò *Bruxellam* abiit. Videtur jam seriò de lectione Mathematica & simul Græca, quarum altera vacua est, altera otiosa, cogitare. Res pendebit à Præside ASSORE & magis ab ipso, qui petit. An tui memor sit? Circa nomen tuum occupatus fuit, novumque Anagrammatismum constituit, quem scio soni caussâ, & significationis, amabis. NELS IGANILTVS eras, nunc ANGELLISTINVS esse potes à verbo ἀγγέλλω Ipse VENDELINVS

DELINUS ENNUDELIUS deinceps erit. De his aliisque EUPANTUSIUS meus: cui MARTYREMATA exscribenda dedi, mox in lucem protrudenda. NOVILANUS noster novam jam parat tabulam singulari arte & diligentia: hanc ubi absolverit, MAGDALIM tuam perfectissimam dabit. De Cælo, Sole, stellis nihil jam dico: omnia magis exploranda sunt. Nihil de publicis, quæ nutant. Deus meliora! Vale & me ama. De THEMISTOCLE, ubi veneris, omnino statuemus. Delicium Viri Patrem HUYNIUM totus totum complector. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Julii. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXII.

Mutinam.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO.

LItteris RINALDI HAFTII intellexi salvum te sanumque *Mediolanum* pervenisse. Gavisi igitur omnes vehementer fuimus.

fuimus. Imò inde *Mutinam* versùs bonâ occasione profectum. Totum quomodò iter successerit, intelligere avidè cupimus. Scribes igitur nisi jam scripseris, & frequentes deinceps litteras mittes: ut hâc ratione absentiam tuam leviùs feramus; imò abesse non videaris. *HISPANIAM* vidisti: nunc de *ITALIA* judicabis. Sic age verò omnia, ut *HONESTE VIVERE*, OPTIMVM putes, quemadmodùm Symbolo usurpamus: ut vana, lubrica, reprehendenda fugias castus & cautus. In D. *LAZARO* patrem habes: hunc audi, hunc sequere, & cole, & me semper tibi adesse cogita, à quo sic amaris ut abesse non videar. Sed novi indolem tuam optimam: Deusque aderit, te diriget in omnibus & servabit, imò felicem faciet. Hoc votum meum est, Matris, Fratrum, Sororum. Nunc salutem à me, à Màtre, ab *VRBANO*, *ANNA-CHRISTINA*, *CAROLINA*, *MARGARETA* cape. Aliàs plura. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTO-

EPISTOLA LXXXIII.

Mutinam.

EIDEM.

QUemadmodum triste mihi fuit hinc te discedere: ita nunc jucundum, *Mutinam* feliciter pervenisse. Id intelligo jam è geminis litteris tuis, quarum primæ sunt Prid. Eid. Augusti, alteræ XIII. Kal. Septemb. Videbar tecum *Mediolani* esse, cùm Urbem, ducente Amico, lustrares, Comitem *MELCIUM*, *SEPTALIOS* fratres, *OLGIATUM* aliosque viseres. Jam verò tam bonus nobilissimi *POSSIDONII*, Sororisque *EUGENIÆ* in te affectus, & me Matremque tuam, & totam familiam vehementer recreavit. Si quid de rebus tuis statueris (quod omnino consilio D. *LAZARI* fiat) fac sciam, & sæpè ad me scribe: ita enim putabo te etiamnum hîc præsentem esse. Hoc etiam à me rogabis Sororem Optimam; quæ dilectissimi Mariti vices absentis suâ manu supplebit. Non aliud sanè solatium habemus. Cæterùm agimus, ut solemus. Atque ego

Mech-

Mechliniæ aliquot dies fui, quò cum *IVSTO* iveram: heri vesperi reversus, perendie Encœnia nostra erunt; de quibus soror *ANNA-CHRISTINA*, rebusque aliis scribet. Mittam ad te proximè (si tamen intereà Typographus absolverit,) *ELOGIVM* CAROLI V. *IMPERATORIS*, item ad D. *LAZARVM*: id autem ejusmodi est, ut legi etiam à Principibus possit. Certè imaginem temporum nostrorum ac bellorum continet. Sed videbis. Res hîc nostræ tristiores sunt à *THEONISVILLA* à *GALLIS* capta. *MELLIVS Namurci* est. *CANTELMVS* prope *Anverpiam*, ut & *BRABANTIAE*, & simul *FLANDRIAE* curam gerat, quasi in confinio constitutus. Sic te nunc complector: sic ipsum D. *LAZARVM EVGENIAMQVE*. Mater, *VRBANVS*, Sorores idem faciunt. Vale mi fili, & salve Lovanii, in Arce, Prid. Non. Sep. CIↃ. IↃC XLIII.

EPIS-

EPISTOLA LXXXIV.

Mechliniam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis.

De invaletudine tua è litteris *VRBANI* & *FREDERICI* intellexi,& summoperè contristatus sum. Contristata & Mater,& sorores, quæ jam solæ domi sunt, Deumque non desinunt pro salute tua invocare. Satisfacere affectui meo non potui,nisi *IACOBVM* nostrum illicò mitterem,ut te viseret,& ad me de statu tuo mox referret. Poterit enim, quia summo manè in viam se daturus est, eodem die reverti. Hæc enim pauca pridie & vesperi scribo, postquàm jam à tabellario fasciculum accepi. Non etiam ille sine litteris meis discessurus est, Sed tu, mi FILI, animum sume, & bono consilio, promptoque remedio utere, ne per moram morbus invalescat. Anginam esse in-

telligo

telligo, & jam secundò venam tibi sectam esse. Spero igitur aliquid allatum sublevaminis esse, ac potuisse humores à gutture diverti. Tam bona, faxit Deus, ut *IACOBVS* nova adferat. Sic convalesce, sic jam vivere incipias, satis hactenus, nescio quibus non vitæ turbinibus jactatus. Sequentur meliora. Ita confido, & te complector toto animo, qui spes omnes in salute tua pono. Repeto vocem meam: convalesce. Lovanii, in Arce, v. Kal. Octob. ∞. I Ↄ C. XL I I I.

EPISTOLA LXXXV.

Mutinam.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO,

Filio suo.

QUemadmodùm affectum tuum amo, ita scriptionem, quâ affectum explicas. Ut breviter nunc respondeam, gaudeo sanè bene sic tibi esse, bene *EVGENIÆ* meæ optimæ, bene optimo *BONVICINIO* quamvis absenti,

 & in

& in Castris occupato. Litteræ tuæ (v. Eid. Septemb. scriptæ) amœnæ erant; quia amœnitatem pagi & agri Florani explicant. Sed faxit Deus, ut pulso *MARTE*, Pax beata redeat. Elogium CAROLI V. nuper miseram, & sic litteras. Acceperis igitur. *D. ANDREAS CANTELMUS* à *REGE* constitutus est Summus militiæ Belgicæ Præfectus: rebus sic etiam nostris aliquid additurus. Hunc Amicum, hunc Patronum, hunc Benefactorem habemus. Sed utendum erit occasione. *AUBERTUS* ad aliquam etiam fortunam crescit. *ANDREAM* omnes laudant, strenuum ac prudentem esse: ego aliquid etiam felicitatis animadverto. Pugnavit nuper in hostem Batavum, nec læsus est. Capi potuit, sed cum Præfecto suo *RUFFINO*, & signifero, & mox liberatus est, postquam omnem in hostes, Montibus ad Zomam, humanitatem invenisset. Nunc nobis adest, mox rursùs ad turmam suam discessurus, quam in Pago Boienheye non procul Mechliniâ habet, & absente, imò adhuc captivo *RUFFINO*, regit. Cæterùm valemus omnes, exceptâ *GENOVEVÂ* quam morbus iste tandem auferet. Tu vale, & salve cum sorore suavissima. D. *LAZARUM*, ubi redierit, à me complectêris. Ab *ANNA-CHRISTINA* litteras hîc habes. Iterum vale.

Lovanii,

Lovanii, in Arce, Postrid. Kal. Octob. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXVI.

Mutinam.

EIDEM.

TE amo, te complector animo,& bene tibi esse cupio, vel ideo magis, quia absenti. Non possum desiderium tui meum celare. Sed cùm cogito, te Optimo & perfectissimo Viro D. *BONVICINIO*, tuo velut fratri, adesse; cùm adesse suavissimæ *EVGENIAE* sorori, solatium sumo. Intellexi verò ex ultimis litteris tuis, Eidib. Octobris scriptis, Elogium CAROLI V. perlatum esse, & gaudeo. Ex *HISPANIA* nihil adhuc certi accepi: spem tamen bonam. Non deerit partibus suis officiosissimus accuratissimusque *RAMIRESIVS*, quem nosti: non alii, quos mihi in epistola tua tempestivè nominas. Novi jam nihil: & qui mittere ea solet, humanissimus *BLITTERSWYCKIVS*, hinc cum Legato Pacis Monasterium profectus est. Arx instaurari jam rursùs incipit: quæ nunquam tamen veteres

cicatrices omnes deponet. Negotium tuum P. BONERO jam commendatum est, magisque commendabitur. Responsum quoque, quod Antverpiâ exspectas, suaviter urgebimus. Sic te complector, mi FILI: sic tu meo nomine EUGENIAM, imò nomine Matris, Fratrum, Sororum. A Matre verò, Fratribus, Sororibusque ipse quoque salve. salveat Optimus BONVICINIUS. Lovanii, in Arce, Postrid. Non. Novemb. ∞. I Ↄ C. XLIII.

EPISTOLA LXXXVII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

ET Nuptias & reditum è Batavis lætus læto gratulor, & feliciter acclamo Sed nos dilectissimam Conjugem tuam quando visuri? Quando illa Lovanium, Arcem, familiam

familiam meam? Ne à suis penitus discessisse videatur, hîc inveniet quoque quos amet, & quos suos putet. Mitiùs mox Cælum laxabit itinera, surgente paulatim Sole, & brumam in amœnitatem convertet. Quid exspectamus etiam? Nullam hîc nobis anni aut vitium aut senium est, ubi hiems, tanquàm picta, delicias facit, & natura tanquàm semper verna ridet. Compone familiam, currum cum Tua scande; ut totus venias, recreeris, & nos quoque nobis lætiores reddas. De Stellis agemus, & tua quoque nobis lucebit stella; cujus dotes tanquàm scintillas æstimabimus. Sanè quæ te solem habet, non potest non splendere. An etiam alio *Apolline* indiget? Carmen quod mittis, ingeniosum ac laudabile est: sed faciliùs à NOVILANO MAGDALIM quàm ab illo Typographo Typos impetrem. Hi etiam in hac Urbe nostrâ paratiores sunt: illam si GVILIELMINA tua petat, sibi vindicabit. Malis etiam sic tuam fieri: quàm jam esse, ego spondeo. ENNVDELIVS noster suo nunc rursùs lare latet, dignus certè in Academia nostra publicè audiri. Quid ad me adhuc REITA scribat, ille Cæli magis quàm terræ civis IVSTVS meus ostendet. Ipsa, nisi fallor, ab EMARVLCA epistola Typis tradetur, sic omnibus videnda: sic & GENDASSO, ne hanc

ille sibi provinciam capiat, Sed quam ego pro PHOCILIDE gratiam? Quam strenam? Non profectò ejusmodi ad me quotidie mittuntur munera. Scire tu autem potuisti quibus maximè capiar. Ostendam igitur me capi. Vale, Lovanii, in Arce, Postrid. Kal. Januarii, CIO. IOC. XLIV.

EPISTOLA LXXXVIII.

Mechliniam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis.

NUllum mihi aliud solatium est, quàm quod à liberis capio: ne mireris, quàm mihi curæ meus mihi AUBERTUS sit, sic à me discedens. Cogita & te esse, qui maximus natu es, & cui præcipuę spes meæ incumbunt. Officia quæ à te fratri præstita, adeò mihi grata, ut à dolore ad gaudium venerim, & te vel ideo complectar. Hoc me tamen adhuc cruciat;

cruciat, quòd MENTALCO discedenti, & vocanti, non adfueris, ut ultima ejus mandata exciperes, mea etiam vota explicares. Hæc igitur scriptioni reservanda sunt. Exemplaria stemmatis expectabo. Sed Illustrissimo Præsidi simul, aliisque Amicis, obsequia mea deferes. Vel maximè cupio, ut hujus affectûs Optimus Pater HUYNIUS particeps sit: in cujus atriolo conspici gloria GANTELMORUM debet. Totâ cogitatione apud AUBERTUM meum sum: cui utinam saltem fasciculus ille meus reddatur! Amabo BASCAPEUM, si hanc nobis operam dabit. Ego nihilominus scripsi adhuc litteras, & Bruxellam ad EUBISAM misi, ut is statim Duynkercam destinaret. Scribe adhuc, & Thema URBANI mitte, ut & ille hîc se exerceat. BASCAPEO salutem dico: tu vale, & ab omnibus salve. Fac etiam, ut de tuis rebus me certiorem facias. Valeat quoque FREDERICUS. TERENTIUM URBANUS referet: ejusdem enim editionis habeo. Lovanii, in Arce, XII. Kal. April. ∞. IↃC. XLIV.

EPIST.

EPISTOLA LXXXIX.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

FRustra scribo, quæ Tusius meus dicturus est. Mecum adfuit NOVILANO nostro, imaginem spectavit, Amicum audivit. Summa sermonis fuit, ut ad nos excurreres, tuam haberes tabulam, si placeret; de pretio ipse statueres: cum Amico Amicè agendum esse. Scire vult, hanc totam à manu sua non esse; esse, quæ præcipua sunt; quæ, ut ego, interpretor, animam ac vitam coloribus, & quasi vocem indunt. Veni igitur, & tibi parvo itinere, parvo deinde sumptu ac pretio desideratam hactenus MAGDALENAM vindica. Sed ut cum D. Conjuge, ego, & mea, & liberi rogamus. Hospitium in Arce erit, magnum & amœnum loco, apparatu modicum, imò

imò rusticum (plus enim ruris quàm Urbis habemus) affectu candidum ac simplex, non pompâ sed libertate æstimandum. Si non negas, poteris tanquàm domi tuæ esse. Aura favet, utcumque frigida, verna tamen, surgentibus lucis ac dierum incrementis. Sermones nostri, nónne deliciæ erunt? A Musica aliquid etiam oblectamenti capiemus, peculiariter verò à litteris & libris. Quid autem sint litteræ & libri, hîc suavissima Conjux tua intelliget, magis sic etiam te amatura. Vale, & salutem illi liberaliter à nobis omnibus. Nunc TUSIUM audi, & ut singula dicat, interroga. Videbor & ipse hâc ratione loqui. Lovanii, in Arce, III. Non. April. CIↃ. IↃC. XLIV. Quæ ad stipendii augmentum faciunt, sedulò curaturus sum: tu libellum supplicem ad me mitte.

EPSITOLA XC.

Mechliniam.

EIDEM.

Distuli scribere, cùm quotidie vellem, variis; minutis tamen, curis districtus, quæ

vel totum rapiant. De Bibliotheca verò, ubi P. *FAUSTUS* redierit, seriò agemus. Catalogus enim in mundum redigendus. Meum votum est, ut ad nos Clarissimus *NAUDÆUS* veniat, ipsosque inspiciat libros, in *BELGIO* nostro prætereà inventurus, quod ad divitias litterarias faciat, ad delicias verò Purpuræ, ingeniorum Censum tam impensè æstimantis. Hæc sanè ad solidum decus via est. *WENDELINUS* rursùs nos visit, rursùs cùm intraret Arcem, à *GASSENDO* litteras, easque prolixas, accepit. Ejusdem cum prioribus argumenti *LANGRENUS* miserat, ad quem postridie profectus est. *HEINSIUS* verò filius, sed egregiè patrissans, Antverpiâ ad me scripsit, tuamque humanitatem, ingeniique cultissimi dotes magno affectu deprædicavit. De *NOVILANO* nihil omnino audio. Non facilè autem hypocausta Agrippinensia hâc hieme deseret: interpellandus mox tamen litteris meis. Si & tuas adjungere voles, simul transmittam. Vale & me ama. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XLIV. Suavissimæ Conjugi, ego, uxor mea, & filiæ salutem dicimus: quam in Arce complecti, votum est. Sic te otiosiùs, mi *ANGELLISTINE* fruar. Hiemem accusare noli: in

li: in Arce semper Ver est. De THEMISTOCLIS Epistolis tandem aliquid statuemus.

EPISTOLA XCI.

Antverpiam.

FAUSTO à S. MARIA PUTEANO,

Carmelitæ Discalceato.

Cum Antverpiam soror tua iret, quomodò non scriberem? Sed si animum meum inspicis, tot profectò Litteras, quot dies numeres. De te enim cogitare & loqui quotidie soleo, & utrobique solatium sumo. Multa sanè aliunde mihi gravia perpessa atque tristia, ut rerum publicè privatimque status est: utinam meliori fortunâ corrigendus! Deus, ut spero, aderit: aut eam dabit constantiam, ut fortiter omnia feramus. Studia mea alacriùs promovere velim: sed etiam valetu-

do

do suam remoram ex intervallo injicit. Scripsi tamen recenter VITÆ HVMANÆ BIVIVM, VIRTVTVM ET VITIORVM LINEAS: & in tres distinxi libros, quorum primus accessum ad Virtutes & vitia, alter Virtutum viam, tertius Vitiorum continet. Hujus tria quæ mitto exemplaria, tibi tuisque habe. Porrò quid agamus domi soror tua explicabit. LAMBERTI SCHAFNABVRGENSIS historiam de rebus GERMANIÆ, mittas velim. Exstat verò in volumine uno Scriptorum GERMANIÆ. Id emi posset, & sorori tradi, quæ pretium præstabit. Vale, iterumque salve, cum admodùm R. P. Priore, & universo Cœtu. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Maii. CIↃ. IↃC. XLV.

EPISTO-

EPISTOLA XCII.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V. N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

NOn adhuc plenum vindicare mihi otium potui, ut qui animo tuus sum, colloquio quoque essem; de publicis atque adeò privatis agerem: & his potiùs; quia illa quidem nimiùm jam laborant, quid nisi Deo relinquenda? Is fortassis è machina nos respiciet. Gaudeo verò & lætor feliciter te ex itinere isto eluctatum esse; incolumemq; cum suavissima Conjuge rediisse. Quid nunc velim, rogē, exspectem? Ut, quia satis jam interpositum moræ, Lovanium & ad Arcem excurras: sed non sine altera tui parte. Dum adhuc Autumnus ridet, fruere hâc amœnitate nostrâ, & apud nos respira. Hîc verò licebit sermones miscere, & liberos, & copiosos; hîc licebit vivere,

vere. Uxor mea & liberi idem rogant. Facilè etiam à Justo meo obtinebo, ut parvi hujus itineris dux sit, & te tuamq; nobis sistat. Ejus etiam operâ nunc indigeo, ut NUNDINAE ROMANAE quæ absolutæ omnino sunt, serenam scripturam accipiant, & qualem Typographus expectat. Volupe & tibi erit, hoc opusculum inspicere, aliquid Romani, etiam Lovanii invenire. De Eclipsi nupera nihil hinc Tibi ausim promittere: nihil ab Amicis, de quibus scribis. P. REITA, quid agat nescio: Antverpiæ esse, hoc scio, & magnum tamen aliquid agere: in Cælo esse, & hinc despicere, quæ in terra timemus. De Atavo tuo, & imagine stirpis BLITTERSWYCKIAE mox scribam; tuæ curæ negotium Bibliothecæ meæ commendo. Vale, & salve, cum Conjuge; & me verum amicum habe. Lovanii, in Arce, III. Eid. Octob. ∞. IↃC. XLV. Apelles noster te salutat.

EPISTO-

EPISTOLA CXIII.

Romam.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO.

IN quo hîc statu res omnes sint, satis ipse rumor perfert. Nos privatim, ut possumus, sed tenuiter. Cessant immunitates, & onera-mur cum reliquis: ita nemo jam exemptus. Sed melior belli fortuna speranda est. Vale-tudo mea satis adhuc commoda, nisi quòd ad corporis quietem redigor. Sic verò ingenium pergo occupare. Scripsi de NUNDINIS ROMANIS librum, & Amplissimo Viro & Amico nostro JACOBO ROELANDIO in Curia Mechliniensi Senatori Regio, inscripsi. Nunc tuâ mihi operâ opus, ut hanc Inscriptionem Veterem, ad ipsum lapidem, quem inter Antiquitates suas FULVIUS URSINUS habuit, examines. Numeri in Circulis inscripti, suspecti mihi sunt. Confer igitur, & nota si quid discrepet. Facilè autem ipsum lapidem invenies. Præterea investiges velim, penes quem

quem Romæ sint libri & scripta PETRI CIACCONII, quem omnes Docti nôrint. Fuit ille Vir eruditissimus, sed ante meum in ITALIAM adventum obierat, intimus FULVII Amicus. Scripserat ille in A. GELLII Noctes Atticas aliquid Notarum. Hæ notæ si inveniri queant, hoc agendum erit, ut exemplar tibi exscribere liceat. Pauca folicula sint. Sed Nundinalem illam inscriptionem statim habere velim, libri mei caussâ, qui jam apud Typographum est, ut excudatur. Ut sæpiús ad me mittas cupio, & ut Romanum otium cum fructu occupes. Nolim te à libris latinis alienum esse. Vale, iterumque ab omnnibus salve. ANNA-CHRISTINA lentè pergit ægrotare, & languet. Sed hiems infesta est, insolito planè frigore, & intenso. Februarius mox mollior, ut spero erit. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Februarii. CIↃ. IↃC. XLVI,

EPISTO-

EPISTOLA XCIV.

Mechliniam.

JOAN. FRANCISCO SLINGELANTIO, *V.N.*

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis, Cognato suo.

INvitus quodammodò scripsero, si colloqui non datur. Ego te, mi ANGELLISTINE per ipsam valetudinem bonam rogo; ut quia verna spirare aura incipit, ad Arcem hanc nostram & amœnitatem cum optima suavissimaque Conjuge excurras. Ita profectò aurea Hygeia, benignâ te facie respiciet, ac beabit. Hic aër, hic genius loci invitat, & ut ampliùs dicam, tuus EVPANTVS. Saltem, si tristes hæ feriæ, & gemens pietas non sinit, venies proximo mense, qui annum aperit, carniumque esum& usum reducit. Cubicula jam parata sunt, illa, inquam, CANTELMIANA, ubi imaginem quoque Heroïs incomparabilis conspicies. Amabis verò fruga-

litatem, & candorem nostrum, & quidquid à fastu & luxu alienum est. Sermones nostri deliciæ erunt, quæ domi, foris, in mensa, in esseda instituemus, in Arce, in Urbe. Sic etiam commodè lustrare Templa, Monasteriaque piissima Uxor tua poterit, & recreari. Quid præterea dicam? An tuus tibi *EVPANTVS* carus sit, hinc intelligam; imò an ipsa valetudo, hîc sanè confirmanda. Adolescentem illum *MEERENVM* diligenter iterum commendaui; quod ipse testabitur, & bona ejus, ut spero, fortuna. Vale, & ut valeas, veni. Lovanii, in Arce, x. Kal. April. ∞. IↃC. XLVI. Tuus te quoque *VANLONIVS* complectetur. De Bibliotheca coràm.

EPISTOLA XCV.

Mechliniam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis.

QUia venturum te scripseras, in exspectatione mihi fuisti. Quid moræ? Imò quid silentii

silentii? Aut veni, aut scribe cur non venias; ut varias ex animo cogitationes deponam. MARGARETAM adesse nunc nobis velim, tanquàm familiæ necessariam, minùs adhuc valente ANNA-CHRISTINA. Intelligo nunc verò, non sine doloris stimulo, bonum Amicum nostrum ROELANDIUM Cursorum Præfectum, fato oppressum esse. Optimus Pater, & ille totus noster, quomodo tristem hunc fert casum? Consolatione certè dignissimus est, quam mittam cum libro NUNDINARUM, hâc omnino hebdomade absolvendo. Præter MANTISSAM pauca adhuc addita, quæ ad explicationem *Hemerologii Romani* faciebant. Jam & ipse te liber exspectabit. Omnes te, Conjugem, utramque filiam, & MARGARETAM salutamus. De pace nihil adhuc solidi aut certi. Deus illam donet, te tuosque servet, & Genero tibi benignum largumque Socerum faciat! Quid præstitum sit, fac sciam, & vale. Litteras tuas, aut te exspecto. Lovanii, in Arce, VII. Kal. April. ∞. IↃC. XLVI.

EPISTOLA XCVI.

Mechliniam.

EIDEM.

ANGELLISTINVS cur iter differat? Malim eum mox venire, dum hæc amœnitas verna est, & Philomela cantat. Aliquid etiam jam mihi otii; quia cessant lectiones, quia nec circa BRVXELLAM impedior. Ad Carmen tuum quod attinet, voluissem id primo loco ponere: sed visus fuissem mihi, & nomini meo blandiri. Non poterant autem duo Generi sejungi. Quicquid sit, videant modestiam nostram alii, & quid Affinitati, tribuamus. Cogita etiam, aliquid Sororibus addi, quando mariti earum æstimantur. Itaque nolim te in hac re ullo modo angi. Existimatio enim tua integra est, quæ à mea ne quidem sejungitur. Ad vitam meam describendam, quòd animum appuleris, gaudeo. Et cur non mox serioque calamum capias? A me, dum vivo aliquid esse subsidii poterit, aliquid etiam limæ. Ante omnia series ordinanda erit, quæ temporis, locorumque rationem sequetur; distinctè verò Acta, Scripta, Dicta. Omnia

mediocria

mediocria sunt. Sed gratiora futura, si narrari, non laudari videantur: sic etiam ingeniosus esse poteris, cùm maximè veritatem & simplicitatem expresseris. In Imagine similitudo prima est, deinde ars. *ADRIANAM* exspectabimus. Hinc cum *ANGELLISTINO* mox veniat. Vale cum Conjuge, liberisque, & à nobis omnibus salve. Lovanii, in Arce, postrid. Pentecostes. ∞. I Ↄ C. XLVI. De Pace nihildum certi. Amplissimum D. *ROELANDIUM* obnixè saluto. Sic & P. *HUYNIUM*, *ANGELLESTINUM*, & *LINDANUM*.

EPISTOLA XCVII.

Mechliniam.

EIDEM.

DEstinaveram & heri scribere: sed dum Amici me visunt, Aurigæ elabuntur. Quid scriberem vero? Postquam ardores mitigati, minùs jam langueo. Imbecillior tamen adhuc stomachus, quem ne gravem, cautio est: sitim quoque faciliùs jam fero; ut nesciam, in numero ægrorum, an valentium

me collocem. Sed uxorem tuam morbo correptam esse, omnes dolemus. Atque utinam à nobis aliquid remedii sit! Tu è Medici præscripto ages, at quotidie nos de statu morbi certiores facies. D. ROSENECCIO, sic bene in nos affecto, multùm sanè debeo. Quid si cum illo agas, de libello supplici breviter & Hispanicè concipiendo? Novum hoc quidem beneficium sit. Si quid scripseris, ad me mitte; ut hinc litteras meas ad *ASSUMARIUM* conformem. Quæ ratio belli nostri futura sit, adhuc incertum. Quid ais verò? *ANGELLISTINUM* nostrum renum doloribus cruciari, ac decumbere? Ad nos quoque hic dolor pertinet, quia Amici malum, nostrum putamus. O convalescat! quemadmodùm *HAVENSIUS* noster convaluit simili morbo nuper, cùm Bruxellæ esset, divexatus. Ejecit calculum, & sibi, nobisque simul redditus est. De *ANDREA* nostro nihil postea audivi. Deus illum inter tot mala & pericula conservet! Te quoque, extra belli aleam constitutum, fratres, sororesque! Uxori tuæ sublevamen apprecamur. Vale, & valeat *ADRIANA*; *MARGARETA* verò penitùs convalescat. Multa adhuc volebam: sed differo. Lovanii, in Arce, XII. Kal. Augusti. ∞. IↃC. XLVI. Tuas exspectabo

exspectabo. Quid Bonus P. HUTNIUS? Valétne, & nos amat? Debetur & illi GRYPHUS noster. Fac igitur, tanquàm à me datus, habeat. Adhuc vale.

EPISTOLA XCVIII.

Romam.

HESSELO PHILIPPO PUTEANO.

UT magnus, & verè paternus affectus meus est, ita semper de te solicitus sum: ut sic me ames quoque, me cogites, & frequenter ad me scribas cupio. Aliquid tibi otii est, quo pulchrè uti potes, si aliquas quotidie horas lectioni bonorum librorum impendes. PLUTARCHUM familiarem habe, & thesauros animi invenies. Vitæ jucundæ sunt, Moralia prorsùs utilia, sive latinè, sive Italicè legas: utinam & liceat dicere, Græcè! Sed nescio quod fatum hanc ab usu hodie linguam removit. Faciet verò Deus, ut ad bonam aliquam conditionem pervenias, sive in ITALIA, sive in BELGIO. Meliora hîc quidem, si Induciæ erunt, tempora exspecta-

mus. Erunt autem, aut me omnia fallunt, & viam ad privatam quoque fortunam aperient. Ego per hos dies aliquot, non rectè valui, nimio calore dejectus; sed nunc meliùs est, præcipite Canicula, quæ languidè jam vix latrat. Nosti æstates nostras: hæc tamen aliquo modo Italica fuit. Lovanienses nostri planè ad Encœnia se præparant. Sacram pompam solemniter circumducturi. Hæc fiducia Pacis. GALLI tamen occupatis jam Cortraco, & Monte D. Winoxi, Mardicum rursùs obsident. ANDREAS noster in Castris Picolomianis est, quæ BATAVIS opponuntur. Ad Præfecturam turmæ suæ eniti adhuc non potuit: sed occasio exspectanda. JUSTI hîc etiam epistolam habes, qui ad me excurrit. Scripseram ego ad AUBERTUM, & DUCEM POPULI, ante octiduum: is an delatus sit fasciculus, scire velim. Nunc vale, & me ama. A Matre omnibusque salve. D. LAZARO, & Optimę EUGENIAE salutem omnes dicimus. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Septemb. CIϽ. IϽC. XLVI.

EPIS-

EPISTOLA XCIX.

Mechliniam.

JUSTO CÆCILIO PUTEANO,

Magnæ Belgicæ Curiæ à Secretis.

ALia nobis nunc consilia capienda sunt, ut onus nostrum in auxilium fortunarum commutemus, sed ubi adveneris. Ad *ANGELLISTINUM* ecce scribo, de Catalogo solicitus: quem & tu urgebis, quia rebus nostris necessarium. De filio Amici tui, quæ scribis, dolenda sunt: humana tamen, ideoque ferenda æquo animo, quem bonus Pater ab ipsa ratione ac necessitate sumet. Cogitet morbum esse, & posse corrigi: hanc etiam spem plurimis exemplis confirmari. *Tollitur arte malum.* Medici igitur, sed periti adhibendi, & in ipso hoc principio: tempestiva enim remedia saluberrima sunt. Quid ego ista verò? Habet suos Urbs vestra *ÆSCULAPIOS* huic, & majori morbo pares. De ERASMO quid

quid tandem erit? In hunc DESIDERIVM miro disiderio feror. Tristiores nunc rursus sumus ob Mardicum amissum. ANDREAS heri vesperi ad nos venit, adhuc à morbo luridus. Hodie Bruxellam profectus est, Præfectum inibi suum inventurus. Cras nisi fallor, Lovanium repetet, ut reliquias morbi hîc deponat. Venit pridie & senior D. MILSERVS eodem modo affectus. PALLADIS hic locus est. Sed & Hygeiæ hic locus est, teq; cum tuis vel bene valentem exspectat. Sic vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XLVI. ANGELLISTINVM, Uxoremque ejus ad Encœnia adducito.

EPISTOLA C.

Mechliniam.

EIDEM.

EA sanguinis nostri ratio atque conditi est, ut quæ alterutri sive læta, sive tristi sunt, non possint non utrique esse. Inter læ numero alteram tibi filiam, nobis verò N ptem natam esse, quę solatium etiam tristibu adferet. De meis jam non dico: sed quæ an

n

mo tuo tristia sunt, etiam meo. De negotii tui infelici successu doleo. Robore igitur & constantiâ opus, ut quæ mutare non possumus, placidè feramus. Nónne dici solet, Animus bonus in re mala, dimidium mali? Deinceps, ut spero, meliora. Familiares jam sæpiùs morbos habeo; intelligo igitur in senectute me esse, vel illam in me. Annos LXXII. penè vixi: & plures jam numero Amícos & lugeo, quós juniores ac robustiores Parca abripuit. Quorsum ista? Ut videas quantùm Clarissimis Expertissimisque Doctoribus Ophemio & Plempio Viris Aesculapii manu formatis deferam, qui me mihi jam aliquoties reddidere. Vale, mi Juste, mi Fili, & cum Uxore, liberisque ab omnibus salve. Salveat humanissimus Lindanus, cui hanc trades. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Septemb. ∞. IↃC. XLVI.

CENTURIÆ IV.
FINIS

INDEX
EPISTOLARUM
CENTURIÆ IV.

A.

F.

G.

H.

Heßelo

I.

Lazaro.

FINIS.

ERRATA.

Habes hic, Benevole Lector, Errores typographicos sed sensum turbantes, sed crassiores. Reliquos qui plures & leviores, tuæ Humanitati corrigendos relinquo.

CENTURIA I. *folio* 38. *lin.* 1. *lege* gratiam. *f.* 58. *l.* 6. *l.* Numisma. *f.* 117. *l.* 1. *l.* beatis. *f* 119. *l.* 17. *l.* eamque. *f.* 141. *l.* 4. *l.* ante. *f* 152. *l ult.* *l.* JANUS. *f.* 156. *l.* 1. *l.* ære. *f* 161 *l.* 14 *l* utcumque.

CENTURIA II. *fol.* 7. *lin.* 15. *leg.* æstimari. *f.* 7. *l.* 22. *l.* te. *f.* 14 *l.* 14. *l.* obtinebunt. *f.* 35. *l.* 19. *l.* lege. *f.* 47 *l.* 18. *l.* miram. *f.* 55. *l. ult.* *l.* facere. *f.* 61. *l.* 4. *l.* plerisq; *f.* 72. *l.* 5. *l.* confessu. *f.* 84 *l.* 12. *l.* obtineat. *f.* 87. *l.* 14. *l.* oblectat. *f* 87. *l* 18. *l* suum. *f.* 95. *l.* 8. *l.* vices. *f.* 119. *l.* 20 *l.* vivemus *f.* 141. *l.* 9. *l.* sacra. *f.* 142. *l.* 13. *l.* affectui. *f.* 144 *l. pen.* *l.* amavi. *f* 147. *l.* 9. quiescant. *f.* 147. *l.* 21. intelliges. *f. eod.* *l.* 24. affectui *f.* 173. complexus.

CENTURIA III. *f.* 3. *l.* 10 *l.* CLUVERIUM. *f.* 13 *l.* 13. *l* ARNOLDO *f.* 14. *l* 9. *l.* terminatam. *f.* 15. *l.* 10. *l.* quas. *f.* 16 *l. ult.* *l.* dignissimus. *f* 21 *l.* 5. *l.* cusa. *f.* 37. *l.* 6. *l.* desideria. *f.* 46. *l.* 10. *l.* præproperi. *f.* 46. *l.* 12. *l.* finet. *f.* 58. *l.* 17. *l.* Marsorum. *f* 7. *l.* 13. *l* dilatione. *f.* 105. *l.* 20. *l.* coli. *f* 130. *l.* 12. *l.* cœpi. *eod.* *l.* amor. *f.* 149. *l.* 5. *l.* Census. *f.* 161 *l.* 3. *l.* Hac. *f.* 167. *l* 17. *l.* carmen.

CENTURIA IV. *f.* 116. *l.* 8. *l.* limum.

LOVANII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

ANDREÆ BOUVETII,

Typogr. jurati M. DC. LXII.